



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio IV. De principio intrinseco quod es forma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO IV.

De Principio intrinseco, quod est forma?

Prius essentiam, deinde existentiam, tum divisiones, & alia formæ prædicata, considerabimus. Demum agemus de illa, prout habet rationem causæ. *Sic:*

QUÆSTIO I.

De Essentia Formæ.

Definit Aristoteles 2. Physic. tex. 28. formam. Est *Ratio quod quid erat esse*. Appellatur forma ratio quod quid, non verò ipsum quod quid, ut ostendatur, non solum formam esse totam substantiam rei, sed etiam materiam ad substantiam rei pertinere; est tamen ratio quod quid, scilicet primum quid, specificativum, & distinctivum ejusdem. Dicitur quod quid erat, non verò quod quid est, ut ostendatur etiam in statu essentia, qui ratione præcedit statum existentia, convenire composito formam.

Huic definitioni Recentiores suas formæ definitiones accommodarunt. Suarez eam definit: Forma substantialis est substantia simplex & incompleta, quæ velut actus materiæ, cum ea constituit essentiam substantia compositæ. In idem recidit definitio Conimbr. Arriag. Pontii.

Mastrius dicit, illam esse actum primum Materiæ, unum per se cum ea constituentem. Brevius sic definitur. *Quod sit actus substantialis materiæ, vel actus materiæ, cum illa constituens unum per se substantiale*. Quod bene definiatur sic forma, leges bonæ definitionis ostendunt. Quod autem melius, vel inde colligitur, quia in illa Suar. definitione genus nimis remotum assumitur, nempe ratio substantia incompleta, quod ipsum alio genere propinquiori restringitur, nempe ratione actus, quæ ei cum formis accidentalibus communis. Et sicut non satis commodè quis ita definiret hominem, est substantia quæ est animal rationale, ubi ly substantia, quæ est genus alio genere, nempe animali restringitur, sic nec etiam dicta formæ definitio, commodè procedet.

Si quis veller tradere definitionem formæ, ut sit quibuscunque sive substantialibus, sive accidentalibus communem formis, imò etiam

actibus, qui appellantur formæ accidentales, bene diceret: formam esse actum subiecti, ita ut forma substantialis sit actus substantialis materiæ, forma autem accidentalis, sit actus accidentalis materiæ. Ei verò, qui ignoraret quid sit hoc ipsum ly substantiale, & hoc ipsum ly accidentale, per prius notificandum esset, quid sit substantia, quid accidens: ad eum planè modum, quo si quis ignoraret, quid sit animal, & quid rationale, antequam illi definiret hominem, deberes notificare quid animal, quid rationale: & sicut non sequitur, hanc definitionem hominis esse malam, sic nec sequetur præsentem esse malam, licet utrobique debeat præcedere notitia Terminorum.

Primo essentialis conceptus formæ proportionaliter ad primo essentialem conceptum materiæ formari debet. Quod sit actus substantialis materiæ radicaliter acceptus, probationes & defensiones ex dictis de materia peruntur.

QUÆSTIO II.

De Existentia Formæ.

Veteres Philosophi negabant dari formas substantiales; alii censebant eas præexistere actu in materia, antequam educantur ex illa, vel illi uniantur. Habent & alios errores, quos alii refutant: magis disputabilia attingemus.

DIFFICULTAS I.

An de facto dentur formæ Substantiales.

Dicendum est *Dari*. Ita Schola Aristotelica & Christiana.

PROBAT primò Suar. disp. 15. sect. 1. num. 6. Formæ substantiales non implicant contradictionem. Tum quia nulla ostendi potest. Tum quia si formæ substantiales, hoc est actus substantiales incompleti repugnarent, repugnarent vel ex eo, quia actus sunt; vel ex eo, quia substantiales.

stantiales sunt; vel ex eo, quia ratio actus & ratio substantialis secum conjungi non possunt: sed nihil horum est, non primum, qui admittunt illi, actus, saltem accidentales, ex quo apparet rationem actus non repugnare; non secundum, quia apud illos, saltem materia Deus & Angeli sunt quid substantiale: Ergo ex ratione substantialis non repugnat formæ. Neque etiam ex conjunctione horum duorum. Tum quia in actu nullum est prædicatum, quod excludat rationem substantialis: Tum quia ratio substantialis potest conjungi cum potentia in Materia: Ergo poterit conjungi & cum actu. *Hæc ratio probat possibilitatem formæ, non existentiam, hinc aliter ex eodem.*

PROBATUR secundò. Si non dantur formæ substantiales, aqua calefacta intensè, vel potest se ab intrinseco reducere ad pristinum frigus, vel non potest se reducere ab intrinseco ad pristinum frigus: neutrum dici potest: Ergo dantur formæ substantiales. Minor probatur. Si potest se ab intrinseco reducere ad pristinum frigus, ergo dantur formæ substantiales, nam hæc ab intrinseco reductio non potest referri in materiam, cui æquè bonum est frigus ac calor: ergo debet referri in formam substantialem, non enim aliquid aliud assignari potest; si non potest se reducere ab intrinseco ad pristinum frigus, ergo neque se reducat ad pristinum frigus, non enim habebit principium istius reductionis: dicere autem, quod se aqua non reducat ad pristinum frigus, est loqui contra experientiam.

RESPONDERI posset primò. Aquam reducere se ab extrinseco ad pristinum frigus, Deo scilicet non pergente ulterius conservare calorem, qui etiam ex se defectibilis qualitas est:

CONTRA est; Concedamus suapte spontè deficere calorem, defectumque concursus divini conservativi reduci ad exigentiam naturalem ipsiusmet caloris, non habentis jus ad ulterius conservari, cuius etiam simile quid habetur in sono, redit difficultas, unde redeat pristinum frigus, quid illud emanet, & cætera similia.

RESPONDERI potest secundò. In partibus aquæ calefactæ, semper manere intensum frigus, ab illisque partibus reliquas frigeri.

CONTRA. Tum quia experimur totam aquam calefieri, quacunque parte tangatur. Tum quia de illis ipsis ipsis, quæ frigus continent, redit difficultas, possuntne calefieri vel non: si non, cur? Si possunt calefieri per quid reducat se aqua ad frigus. Neque valet, si recurrat ad Deum restituentem frigus, hoc enim deberet facere miraculosè, quia ad nullius naturalis rei exigentiam.

RESPONDETUR tertio. Dari qualitatem quandam superioris rationis, virtute continen-

tem primas qualitates sensibiles, vi cuius reducit se aqua ad pristinum frigus.

CONTRA. Quia si virtute continet omnes, debet esse indifferens ad has vel illas producendas: hinc si non datur Forma substantialis, quid erit exigitivum, ut in aqua producat frigus. Deinde, vel illa qualitas excludit formam substantialem, vel non excludit: si non excludit, si ne necessitate ponitur, cum id sola forma substantialis præstare possit; si excludit, erit ipsamet forma substantialis, adeoque illam non excludet, quia illa qualitas erit primus actus materię, complens illam per se in ratione aquæ, & in ratione se reducens ad suas proprietates. Quando verò in Eucharistia species calefactæ vini reducunt se ad pristinum frigus, hoc referri debet in decretum Dei, volentis concurrere ad has reductiones, ob celandum mysterium. Respicit hoc argumentum, quod interdum ita fiat alteratio, ut non possit se res restituere in pristinum statum, interdum autem potest, quæ diversitas non in aliud vel dictis referri potest, quam in remanentem vel recedentem formam substantialem.

CONFIRMATUR ex Arriaga, in Eucharistia perit tota substantia panis, & manent accidentia; ergo apparet accidentia non esse partes substantiæ panis. Et certè, si sola materia est substantia panis etiam lapis, qui eandem specie materiam habet, erit panis; & rursus, cum in Eucharistia sit materia prima Christi. Ergo si panis est non nisi materia cum talibus accidentibus, sequeretur quod illic maneret panis.

RESPONDEBIS primò ex Pontio, non manere illic omnia accidentia, quæ cum materia dicuntur panis, & manere sola accidentia sensibilia.

CONTRA. Quia hoc est mera divinatio, & quidem non conformis phrasi Patrum, qui si sensissent etiam accidentia illic perire, dixissent non solum substantiam, sed & accidentia panis illic perire, non nisi ignobilioribus manentibus, quia non potentibus constituere panem.

PROBATUR tertio conclusio: posito, quod non darentur formæ substantiales, equus & planta vel differunt substantialiter, vel non differunt substantialiter: si differunt substantialiter, ergo differunt formam, nam utrique materia est communis; si non differunt substantialiter, ergo neque homo & planta differunt substantialiter; hæc autem duò differre si neges, sic ulterius probabitur. Homo comparatus ad plantam, vel habet radicem primam, ratione cuius exigit non nisi hæc accidentia, quæ prima radix addita materię in homine, constituat hominem; vel non habet: Si non habet, ergo tam bene negans formam substantialem posset esse homo, quam non esse, sed esse bos, siquidem nullam habet exigentiam & radicem, ratione cuius

cujus hæc accidentia exigat, quæ radix constituat hominem; quod si est exigentia & radix prima, ratione cujus debentur materiæ, quæ est in homine, non nisi hæc accidentia. Ergo datur forma substantialis; hæc enim exigentia non est referenda in materiam, nam hæc v.g. in planta non exigit accidentia hominis, utpote subiectum primum omnium, nec item est referenda in formam aliquam accidentalem, nos enim nomine formæ substantialis, non aliud intelligimus, quam primam radicem proprietatum, huic in specie enti debitarum, quæ addita materiæ constituat hoc in specie compositum: Ergo si tu admittis talem radicem, admittis formam substantialem. Denique suppono oppositum, sentientem habere definitionem formæ substantialis, scit enim quid neget dari, & quamcunque tradiderit legitimam, ea ostenditur, convenire huic radici, darique talem formam: cumque accidens non posset esse prima radix & exigentia accidentium, v.g. hominis & plantæ, nam substantiale est homini, esse hominem; substantiale item est plantæ, esse plantam: ergo cum in hac ratione substantiali constitutur homo & planta hac radice, radix hæc substantialis esse debet: positoque, quod nomine substantialis veniat id, quod primo intenditur à natura, cum in generatione, v.g. ignis, primo intendatur ista radix, utpote quam præsupposita materiæ, consequuntur reliqua: ergo illa radix substantialis erit, adeoque forma substantialis erit, adeoque forma substantialis.

Obijciuntur primò. Aristoteles 2. de Generatione tex. 7. primas qualitates activas, ait esse elementorum differentias.

RESPONDETUR. Elementa in quantum sensibilia sunt, differunt non nisi per primas qualitates: sed si sumantur secundum quod constituta sunt, radicemque important talium qualitatum, alio different, nempe forma substantiali; quando verò 7. Metaph. Tex. 8. docet, solam materiam esse substantiam, cætera affectiones substantiæ, hoc tantum voluit, quod permanente eadem materia, nunc hæc, nunc illæ adveniant formæ, incorruptæ manente materia. Item quando 8. Metaph. tex. 18. ait: ex materia & forma fieri unum, sicut ex cera figura, non facit in hoc proportionem, quasi ita debeant esse ex diversis prædicamentis, sicut cera & figura, sed ponit in hoc proportionem, quod sicut cera est subiectum figuræ, ita materia & forma.

Obijciuntur secundo. Si forma substantialis daretur, & esset substantialis, & non esset: esset, ut supponitur, non esset, ut probatur; quia ita esset in materia prima, ut simul dicat dependentiam in esse, & in fieri à materia, (intelligendo id saltem de forma materiali) non minus, quam accidens, v.g. calor ab igne. Unde à pari formatur argumentum: calor respectu ignis est ac-

cidens; ergo & quæcunque forma materialis, respectu materiæ, est accidens.

RESPONDERI potest ex Suarez. Formam materialem, dicere quidem dependentiam à materia, non esse tamen accidentalem; nec ita se habere ad materiam, sicut calor ad ignem, quia calor comparatus ad ignem, est in illo per inhesionem, forma per informationem; non enim ignis & calor sunt in eodem prædicamento, sicut forma plantæ & materia: Forma enim est illud, quod in ratione talis in specie compositi materiam complet. Ergo est quid substantiale; nihil enim per formam substantialem intelligitur, nisi tale completivum: deinde calor comparatus ad ignem, non est prima radix passionum igni debitarum, est autem ex dictis talis radix forma materialis.

Obijciuntur tertio. Quod est substantiale, debet esse per se stans; quod est per se stans, non recipitur in alio: Formæ autem materiales, recipiuntur in subiecto.

RESPONDETUR Communiter, quod repugnet esse aliquid per se stans, & tamen esse in alio, tanquam in subiecto inhesionis, sed non repugnat esse aliquid per se stans, & tamen in alio, tanquam in subiecto informationis. Aliiter idem solvi potest, quod id, quod est substantiale, & per se stans completum, non possit esse in alio, secus, quod est incompletum, & per modum actus. Unde ulterius, non potest ignis sufficienter intelligi in suo esse constitutus, si cogitetur materia habens perfectum calorem, cum siccitate conjunctum, quia si ignis substantialiter esset non nisi materia cum accidentibus, non differret substantialiter ab aliis, ut probatum supra, quia autem cogitabilis est legitime modus differendi substantialiter, is intervenit inter ignem v. g. & aquam.

Obijciuntur quarto. Totum fundamentum adstruendarum formarum substantialium est, operationes unius, v. g. compositi, quæ non sunt in alio composito, hoc non arguit formam substantialem: Tum quia alias sicut multe sunt operationes compositi unius, ita deberent esse multe substantiales: Tum quia in exsiccatis plantis manent illarum operationes, & tamen non manet forma substantialis.

RESPONDET Mastrius: Multitudinem operationum in uno composito, arguere unitatem formæ, eò, quod forma, quæ perfectior est, eo quod forma, quæ perfectior est, eo sit illimitatior ad operandum, quamvis diversitas operationum in diversis subiectis, arguat multipliciter, eo quod arguat diversam radicem, & exigentiam talium operationum; In plantis exsiccatis non manet forma vegetativa, manet forma mixti, quam sequuntur illæ virtutes activæ; & licet agnoscamus dari formas substantiales, quæ inter se habent magnam affinitatem, v. g. formam sulphuris, cum forma ignis, non seque-

sequetur tamen inde, formas illas substantiales, quæ sunt principia talium actionum, esse principia directa corruptionis sui, quantumvis sint principium indirectum, quatenus deponendo talia accidentia, v. g. sulphur, quæ formæ ejus debentur, approximatio igne cedere debeat. Deinde non quidem ex varietate operationum, sed ex substantiali differentia, exigentiaque talis constitutionis accidentium, colligimus existentiam formarum substantialium. Sed etiam hoc posito, nihil evincitur, quia multitudo operationum ostendit multitudinem formarum, si sint operationes, quas ad eandem formam revocare sit impossibile; secus si possint ad eandem formam revocari, non enim sunt multiplicanda entia sine necessitate, recedente forma vegetatorum manent, vel formæ substantiales partiales, vel Forma, quam appellant cadaveream, connectunturque tunc accidentia cum illa forma.

Objicitur quintò. Si darentur formæ substantiales, non possent intelligi rerum transformationes, nisi aliquid ex nihilo fieret, quod naturaliter esse non potest. Sequela probatur: Formæ, in rerum mutationibus, vel præexistunt in materia, vel non præexistunt: si præexistunt. Ergo nihil de novo generatur; si non præexistunt, ergo de nihilo producuntur.

RESPONDETUR. Generationem hominis intelligi non posse, nisi aliquid fiat; sed quia de aliis formis retorqueri potest argumentum, quomodo si calor non præexistat in ligno, neque enim illud comburit, producatur in ligno, sine creatione, suffecerit dicere, quod id, quod non præexistit in subjecto, de nihilo producatur sui, sed non de nihilo subjecti, hoc est, non sine concursu causæ materialis, cum tamen id sit necessarium ad creationem. De quo sequenti difficultate.

DIFFICULTAS II.

Præexistuntne Formæ substantiales in Materia?

DICENDUM est primò. *Non præexistere formas in Materia*, ita Schola Peripatetica, contra Anaxagoram & quosdam veteres.

PROBATUR primò Conclusio ex Hurtado. Si præxisterent Formæ in materia, daretur infinitum actu, quod non conceditur, de quo infra. Sequela probatur: darentur actus tot formæ, quot sunt possibiles, sunt autem possibiles infinitæ.

PROBATUR secundò ex Oviedo. Non est explicabile, quid sit in Anaxagora apparere, v. g.

Formam hominis, & non apparere Formam Leonis, si hæc omnes formæ actu præexistunt in Materia Anaxagoræ, sequeturque Anaxagoram esse Leonem, quamvis non appareat Leo: quia esse Leonem, est esse materiam formam, & unionem horum, quæ omnia habentur ante apparentiam, quia per illam apparentiam nihil de novo incipit esse, ut ille universaliter affirmat. Rursus, quando dicit incipere apparentiam formæ Leonis, cum illa apparentia non præcesserit, incipit esse, ergo tunc primò producitur, ergo ex nihilo, quia nihil præcesserat illius: & sicut propter hoc argumentum assererat, præexistere formas in Materia; ita propter idem, asserere debet, etiam semper apparere omnes, quod tamen negat.

PROBATUR tertio. Formæ istæ, vel omnes præexistunt in unaquaque parte materiæ, vel non præexistunt omnes: si non præexistunt omnes in unaquaque parte Materiæ, ergo non respectu omnium formarum illa Materia est potentia, siquidem, si illas formas subiectare posset, jam illæ præxisterent, ergo ulterius esset specie distincta ab alia parte Materiæ, esset enim determinata non nisi ad has formas, ergo ulterius venire posset ad talem stipulam, quæ non possit igniri, etiam in mediis flammis, eo quod non præexistat forma ignis in illa stipula; si verò præexistunt omnes in unaquaque parte Materiæ, ergo tot in una, quot in omnibus reliquis, siquidem in una parte Materiæ omnes formæ inducibiles sunt, quæ sunt inducibiles in omnes alias, ergo ulterius una eademque præexistens forma, est naturaliter in pluribus locis, nempe in omnibus partibus Materiæ, in omnibus enim partibus Materiæ educibilis est, ergo ulterius ante ignitionem stipulæ est & forma ignis, & forma stipulæ, adeoque stipula & ignis, & cum in materiam aquæ possit induci forma ignis, jamque præexistat, erit aqua summè calida, & summè frigida, summè humida, & summè sicca.

DICENDUM est secundò. *Non præexistere formas in Materia, ratione esse alicujus inchoati & imperfecti.*

PROBAT primò Suar. Disp. 18. Sec. 2. n. 5. illud quod tu dicis præexistere formæ, non est ipsa entitas Materiæ, sed est entitas formæ, tunc de illa entitate quæro, illa entitas, vel est substantia, vel accidens: si est accidens, ergo non potest esse inchoatio, nam inchoatio Formæ substantialis, debet & ipsa esse substantialis, non enim ejus, sed aliûs ab illa, utpote non substantialis esset inchoatio. Rursus si illa inchoatio est accidentalis, ergo per te forma substantialis debet fieri ex nihilo, quia hoc, in quo præxisteret Forma substantialis, dicitur, est accidens, quod non est entitas substantialis For-

Forma: si verò dicas, hanc entitatem esse substantiam, quæro quid sit, quod illa Forma ex esse imperfecto transeat ad perfectum: vel enim transit intensione aliqua, & hoc non, quia Formæ substantiales non sunt intensibiles, dabitur item ratione illorum inchoamentorum infinitum actu imperfectarum formarum: vel transit illa Forma imperfecta in perfectam, conversione aliqua, & sic non est dicendum, præexistere formas in Materia, sicut non dicitur corpus Christi præexistere in non consecrata hostia, hæcque ipsa, quæ converti debent, essent infinita actu. Rursum, siquidem illa inchoata entitas perit, quando incipit esse perfecta Forma, ergo impertinens est illa entitas imperfecta, ut Forma non fiat ex nihilo; quia illa entitas imperfecta & inchoatio, non est aliqua pars, vel aliquis gradus, ejus Formæ, quæ fit.

PROBATUR secundò. Accipiamus illam partem prout condistinctam à suis inchoamentis, vel fit de novo, vel non fit de novo: si non fit de novo, ergò præexistit etiam quoad illud esse perfectum; si fit de novo, ergo est nihil, quia per oppositos de novo, nihil fit.

PROBATUR tertio. Hæ ipsæ præexistentes inchoationes formarum, vel sunt productæ ex nihilo, vel ex aliquo præcedenti. Si ex præcedenti inchoatione, de hac ipsa redit quæstio, an sit ex nihilo producta, vel ex aliquo præexistenti; si ex præexistenti, dabis processum in infinitum; si ex nihilo, ergo illud inchoamentum, illudque præexistere formarum, nihil est, adeoque non est præexistere formarum; nam ex nihilo per oppositos nihil fit: Ergo ulterius, si ipsa inchoamenta potuerunt produci ex nihilo, etiam formæ produci potuerunt ex nihilo.

OBJICITUR primò Auctoritas Aristotelis ex 7. Metaph. tex. 29, ubi docet, in materia esse partem aliquam rei faciendæ.

RESPONDETUR. Nomine rei faciendæ, intellexit Aristot. compositum, cujus faciendi pars aliqua est ipsa materia: vel intellexit in Materia sumpta, cum dispositionibus, esse partem rei faciendæ, hoc est Formæ educendæ, ad quam etiam suo modo concurrunt dispositiones. Unde pars operis ponendi ab agente in Materia, sunt ipsæ, quas inducit, dispositiones: quando autem Aristoteles docuit, non ex quolibet fieri quodlibet, sed ex determinato determinatum, non debet esse determinatio per inchoationes formarum, sed per prævias dispositiones inductas ab agente.

OBJICITUR secundò Auctoritas Sancti Augustini libr. primo de Trinitate c. 7. ubi ait: Omnium quæ nascuntur, occulta quædam semina, in mundi elementis latere.

RESPONDETUR. Nomine istorum seminum, intellexisse Sanctum Augustinum, non partes formarum, non enim dicitur, pars arboris, v.g. semen, sed intellexisse virtutes productivas, & dispositiones.

OBJICITUR tertio. Ex nihilo nihil fit.

RESPONDETUR. Si non sit agens, non producet quidquam, & si sit creatum agens, sine concursu materiæ, nihil producet, & hoc est: *Ex nihilo nihil fit.*

Ex dictis COLLIGITUR, non præexistere ullò modò Formas in Materia. Quomodo ergo salvabimus, tunc cum producantur, non illas creari, salvant hoc auctores communiter per hoc, quia educuntur de potentia Materiæ, & hoc, discutiendum restat.

DIFFICULTAS III.

Quid est educi Formas in statu existentie.

PRÆMITTO Primò. *Constare jam, animam rationalem non educi à Materia, sed produci à Deo immediatè, idque actione Creativâ, intra tamen ordinem naturæ.*

PRÆMITTO secundò ex Suar. *Distinctas esse has propositiones: Materia continet Formam rationalem in potentia; & hanc, materiam esse in potentia ad formam dictam; hæc secunda propositio est vera, sensus enim illius est: Materia est subiectum naturaliter aptum, informari animâ rationali, prioris autem sensus est, Materia habet vim causandi animam rationalem, ad eum modum, quò causa efficiens continet in sua potentia effectum, quem causare potest. Cum ergo anima rationalis causari non possit à Materia, idèò nec diceretur Materia continere Formam in potentia, cum tamen Formæ materiales contineantur in potentia Materiæ.*

PRÆMITTO tertio. *Tam Formæ quæ creantur, quàm Formæ quæ educuntur, conveniunt in hoc, quòd exeant per suam productionem ex nihilo sue existentie, nam de utrisque ante productionem verum est dicere, sunt nihil existentie, non existunt, & tamen illæ dicuntur creari, hæc educi, quod ipsum*

EXPLICANT Primò Conimbricens. 1. Physic. C. 9. q. 12. ar. 5. & post illos Complutens. Joan. à S. Thoma, Manca, & alii, sentiuntque, tunc educi Formam ex Materia, quando Materia ordine durationis præcedit Formam, in quo priori, Forma contineri dicitur in potentia Materiæ, ita, ut si Forma in eodem instanti temporis fieret cum Materia, jam non censeretur educi, sed creari. *Hæc explicatio*

†1

Non

NON SATISFACIT. Tum quia, ut urget Suar. Disp. 15. Sect. 3. n. 5. fieri potest, ut subjectum creetur à Deo, & in eodem instanti forma producat ab agente naturali, quo in casu educatur forma, & non creabitur, nullum enim agens naturale creat, certè autem eodem instanti, quo Deus produceret aërem & solem, produceret sol formam lucis in aëre. Tum quia sunt aliqua accidentia, quæ positionem subjecti comitantur, ut cum ignis ex se emanat calorem: hæc productio esteductio, & tamen non supponit præexistisse ignem sine calore, ergo ad educationem, supervacanea est hæc præexistentia. Tum quia vi istius explicationis sequeretur, animam rationalem educi, producit enim supposita præexistentia Materie; quod si dicas, ideo illam creari, quia non continetur in potentia Materie, restat quæstio quid sit? & qui hoc contineri, educatione exerceatur, quidque sit istud exercitium? Tum quia, ut urget Mastrius, ad hoc, ut dicatur effectus producti sua causa, sufficit, quod præcesserit causa effectum prius naturæ, quantumvis non præcesserit cum prius tempore: Ergo etiam ad hoc, ut censetur educi forma ex Materia, sufficit, materiam prius tantum natura præexistisse. Tum quia, ut urget Pontius, per educationem intelligimus productionem, quæ sit distincta actio à creatione, & aliud intelligere, est de voce disputare, sed unio illa, per quam produceretur forma, cum dependentia à causa materiali, est distinctissima rationis à creatione, quæ est productio formæ sine tali dependentia: ergo potest esseeductio, sine tali præexistentia. Tum quia hæc explicatio non respondet ad Punctum difficultatis, sive enim præcedat materia formæ productionem, sive non præcedat, quomodo producta noviter forma, non est dicenda produci ex nihilo, cum fiat ex nihilo sui.

DICES PRIMÒ. Ad educationem formæ, requiritur præcedens alteratio, quæ non potest fieri in instanti: ergo præcedere prius tempore debet subjectum alterationem, hoc est materia.

RESPONDET Suar. Per accidens requiri prævias alterationes, admittique eas propter inefficaciam agentis: hinc si Deus in uno instanti transmutet aquam in vinum, dispositiones illic non præcedent tempore, & tamen productio formæ vini, erit veraeductio.

DICES SECUNDÒ. Educatio fit per mutationem subjecti ad formam educam: ergo requiritur ad eam, quod subjectum prius tempore existat, quænam forma, quia alias, non posset mutari ad formam.

RESPONDETUR. Negando consequentiam cum sua probatione. Nego enim subjectum non posse mutari ad formam, si non præexistat, cum illa mutatio sit per habitationem formæ, ad

quam non requiritur, quod præxiterit subjectum.

DICES TERTIÒ. Actioeductiva formæ, præsupponit materiam productam; sed materia per se non potest produci, sed producitur productione totius, quando quidem non habet proprium esse: ergo debet produci ut existens sub alia forma.

RESPONDETUR. Negando propositionem secundam. Vidimus enim supra, materiam habere proprium esse; deinde quamvis defacto educationes, quæ nunc sunt, præsupponant materiam præexistentem tempore, sed negamus hoc essentialiter requirere educationem, certè enim prima forma, v.g. terræ, erat forma educata, erat enim dependens à Materia, & tamen prius tempore non præfuit formæ, imò nec præfuisse potuit.

INSTABIS. Educatio postulat formam in potentia Materie, sed non potest eadem forma esse simul in potentia Materie, & in actu. Ergo prius tempore erit in potentia, postea in actu.

RESPONDETUR. Educationem postulare, ut contineatur forma in potentia, Materie, non continetia privationis præcedentis, sed continetia ad posse subiectare, ad quod non requiritur præexistentia materie ante formam.

EXPLICAT SECUNDÒ Suar. Educere formam è potentia materie, nihil aliud est, nisi fieri eandem actione, quæ fit compositum, ex Materia præcedente, quæ eadem actione non fit, idque constat, inquit ille, inductione, in omnibus formis, quæ educuntur de potentia materie; & ita, quando è Materia stipulæ producit forma ignis, illic est veraeductio, & simul eadem actione producit illic forma ignis, & compositum hoc, quod est ignis: sicque in omnibus reliquis, sicut è contra, quando alia actione forma, & alia compositum producit, tunc non educitur forma, sed creatur.

IMPUGNAT explicationem Mastrius. Quilibet forma per se fit, & propria productione producit, cum enim sit causa compositi, plane necessarium est, ut prius habeat esse in rerum natura, quàm compositum ipsum, & cum sit per se terminus generationis, debet propria actione acquiri, & non tantum per accidens, ad productionem compositi.

RESPONDERI posset, hanc rationem supponere, quod compositum sit effectus formæ & Materie, realiter distinctus ab iisdem; incertum item est, an non compositum sit terminus generationis. *Ceterum hæc explicatio*

NON SATISFACIT PRIMÒ. Possibile est educi formam è potentia Materie, & non uniri illam Materie. Ergo apparet, educationem non stare in actione, quæ eadem faciat compositum, & si possunt accidentia Eucharistica existere, &

re, & non unita materiæ, cur & non forma substantialis?

NON SATISFACIT secundò. Velpotest formaeducta tempore antecedere compositum, vel non potest: si non potest, quæ in hoc implicantiæ? & si materia potest prius tempore antecedere compositum, spoliata omni Forma miraculosè, cur non poterit & Formaeducta, sine omni subiecto, miraculosè antecedere compositum? Si autem potest, ergo educi non est fieri eadem actione, quæ fit compositum; quando enim separatim existunt, non fit compositum.

RESPONDEBIS. Sufficere, quòd connaturaliter loquendo, debeat eadem actione fieri compositum.

CONTRA. Quia ex hoc ipso jam apparet, definitivè, educationem non esse actionem productivam compositi, cum jam restrictio ponatur, quòd eadem actione fieri debeat, sed non nisi connaturaliter compositum. Deinde quando anima rationalis producitur connaturaliter, non exigit produci antè materiam, quæ tamen exigentia non salvat, nec fundat in anima rationali rationem educationis: Ergo nec fundabit in formiseductis, quòd si dicas, insuper adhuc debere addi aliquid, hoc potius, si sit legitimum, erit explicativum educationis.

NON SATISFACIT tertio. Quia ex una parte per illum compositum dicit tria, Materiam, Formam, Unionem; ex altera parte, actioeductiva Formæ, non est actioeductiva unionis, siquidem in principiis illius actiones, secundum multipliciter terminorum multiplicatur: alia autem est entitas unionis, adeoque alius terminus, & alia entitas Formæ, hinc & actiones istorum productivæ, debent esse aliæ: immerito ergo dicitur, eadem actione fieri formameductam, & compositum.

EXPLICAT tertio Pontius Disp. 4. q. 2. n. 26. quòd educio sit productio Formæ, cum dependentia à causa materiali receptiva, quæ dependentia in hoc est, quòd quemadmodum influit causa efficiens in Formam, & propterea Forma dependet ab efficiente, tanquam à dante sibi esse, ita etiam causa materialis influit in ipsam, dando ipsi esse, ita etiam causa materialis influit in ipsam, dando ipsi esse, recipiendo ipsam. Dicit ulterius non in hoc sitam esse hanc dependentiam, quia scilicet Forma materialis non produceretur, nisi esset Materia, quia aliàs etiam anima rationalis dicenda esset dependere à corpore, quia non producitur nisi ad sit corpus dispositum, sed hæc dependentia sistit in influxu aliquo positivo Materiæ, quòd communicet ipsi suum esse. *Hec Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia non explicat, quis sit iste influxus causæ materialis in Formameductam, deberet enim esse per hoc,

quia reciperet illam Formam; sed recipere Formameductam, non est dare illi esse, supponitur enim id, quod recipitur, habere esse. Tum quia ex dictis supra constat, causalitatem Materiæ non stare in unionem, ergo nec in receptione prædicta, hæc enim pro eodem sumuntur in præsentia. Tum quia secundum veterem phrasim, recipitur in corpore anima rationalis, nec tamen causatur, quid ergo addit illa receptio Formæ materialis, ut constituat causalitatem materiale, & hoc additum potius (si sit legitimum) explicabit naturam Formæ.

Explicatur Eductio.

EDUCI nihil aliud est, quàm produci Formam contentam, in potentia Materiæ, hoc est, naturam, ut & in fieri dependeat naturaliter non nisi à Materia, nec extra illam naturaliter habeat jus existendi. Est explicatio ad mentem Suarii, eam amplectitur etiam Maftrius Disp. 2. q. 7. ar. 2. n. 148. cum aliis, quos citat. Videturque esse mens Scoti, præsertim in quartum Distin. 1. q. 1. Formam enim materiale dicit esse omnem illam, quæ ex natura sua necessario inclinatur naturaliter, ut sit actus Materiæ, sive sit substantialis, sive accidentalis. *Hoc ipsum*

EXPLICATUR tali discursu. Jus, est quoddam respectivum, est enim ad aliud, hoc verò aliud, est & terminus illius respectus, & simul correlativum, nempe debitum, & ita, v. g. est jus in creditore exigendæ pecuniæ, in debitore terminus & correlativum, est debitum reddendæ pecuniæ. Hoc jus & debitum sub sua formalitate, est ordinariè, in utroque, ita, ut in utroque sit jus suo modo, & sit suo modo debitum: hinc, ut dixi, est jus in creditore, exigendæ, in debitore, debitum reddendæ pecuniæ. Rursus in debitore est jus exigitivum, ne creditor plus poscat ab illo, quàm dederit, & in creditore est debitum, non plus exigendi.

Quod est in istis societatibus politicis & exigentis, idem videre est in societatibus entium inter se: habet debitum Formaeducta, ut non nisi dependenter à materia produci & conservari posset, respondet huic debito jus in Materia, deposcens, ut hæc Forma, naturaliter, non nisi dependenter à Materia habeat esse, in fieri; & simul etiam in Materia, habetur obligatio recipiendæ huius Formæ, & in Forma, jus exigendæ, suæ receptionis. Illa ergo Forma censetur esseeducta ad quam habet jus Materia, ut sine se non existat, & in qua est debitum non existendi, independentem à materia.

Porro, quia hoc jus est fundatum in intrinseca rei exigentia & entitate, hinc, si Deus faceret decretum, ut anima rationalis, ejus quæ de

facto est naturæ, in fieri & in conservari pendeat à corpore, ut scilicet, tam diu duret, quam diu est in corpore, nec dum tamen illa censeretur esseeducta, quia non ex intrinsicis principiis, & non ex vi & conditione naturæ suæ, depolce-
ret ita conservari, ideo nec dum anima ratio-
nalis censeretureducta. Si verò è contra face-
ret Deus decretum, de anima bovis, ut conser-
vetur etiam extra corpus bovis, adhuc foret e-
ducta, quia non ex intrinsicis principiis suis ha-
bet hoc, ut fiat & conservetur extra mate-
riam.

Quòd verò dentur aliqua Formæ, quæ non-
nisi dependenter à materia fieri & conservari
possint, colligitur ex eo, quia de facto Formas
materiales, nec per experientiam, nec per ra-
tionem, convincitur durare extra corpus: hinc
arbitrarium esset dicere, illas in conservari non
dependere à corpore; & certè, si formæ mate-
riales conservarentur extra corpus, produce-
rent actus suos, sicut & anima rationalis produ-
cit suos; & quia actus formæ materialis sunt
nonnisi sensibiles, caderent sub sensus nostros,
& ita extinctò igne posset fieri ignitio, calefa-
ctio, & cætera similia.

His jam de termino educationis positis, ad-
dendum aliquid est, quid sit istaeductio seu cau-
salitas illa materiæ.

Videtur autem, quòdeductio non sit aliquis
influxus medius, inter entitatem Materiæ & en-
titatem Formæ, ratio, quia iste influxus vel esset
datio esse, consimilis ei, quò efficiens dat esse,
& hæc causalitas non convenit materiæ, quia
illi improporcionata, cum sit de linea efficien-
tis, entique imperfectissimo, maxima activitas
tribueretur, & tamen supposita tali activitate,
deberet esse ens perfectissimum; cum inter ta-
xas perfectionis, sit activitas & datio esse, præ-
supponens in sua causa, si non majorem, saltem
æqualem perfectionem, cum effectu. Deinde
non repugnat etiam causalitas & influxus indi-
stinctus à causa & effectu, qualis causalitas est
creatio, productio verbi, mentis &c. cumque
nulla sit necessitas ponendæ hujus intermediæ
actionis, cui usui ponetur? Universaliter etiam
ea non per intermediam actionem, (sive illa sit
modus, sive non sine modo) producuntur, quæ
seipsis dependent ab hoc principio: seipsa au-
tem, & non per aliud, dependet forma materia-
lis à materia, nam posita solà illius entitate, sive
à Deo immediatè, sive ab efficiente creato, ha-
bet hoc, ut in esse & in conservari pendeat na-
turaliter à materia: ergo seipsa dependet à mate-
ria, quòd autem dependeat ab hac potius
parte materiæ, quàm ab illa, pendet à disposi-
tionibus, quas inducit agens, etsi elevetur ad
producendum sine dispositionibus, vagè exi-
get Materiam.

Ne autem formæ materialis, quæ est Ens ab-
solutum, tradatur conceptus respectivus, de-

bent radicaliter sumi prædicata prædicta, & ut
salvetur, quòd entis actualis non ponantur præ-
dicata potentialia, accipienda erunt illa prædi-
cata actu convenientia illi formæ.

Cæterum quamvis non ponatur hæc causa-
litas intermedia & distincta, ponendus nihilo-
minus est influxus & causalitas, quia nulla
causa potest esse actu causans, sine causalitate
& influxu vel indistincto vel distincto; si enim
poneretur sine causalitate, perinde se haberet,
acsi non causaret, acsi causa non esset. *Sed in
oppositum.*

Dices primò. Non rectè explicatureductio
per unionem, vel per receptionem: Ergo nec
prædictò modo rectè explicabitur.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam:
quia potest esse forma materialiseducta, & non
unita: jam autem non potest esse Forma ma-
terialiseducta, & tamen talis, ut materia non
habeat jus, ut nonnisi in se conservetur, & illa
debitum, ut nonnisi in materia fiat & conser-
vetur. Unde hæc dependentia stat in dicto
jure, & debito. Ubi ut vides, nostra sententia
discernitur à prædictis per hoc, quia unio est
quid posterius formæeductæ, jam autem cir-
cumscripita entitas formæ, non est quid poste-
rius formaeductæ, nullusque est, qui neget præ-
dicatum prædictum formæ materiali.

Dices secundò. Si albedo dependeret tan-
tùm materialiter à subjecto in fieri, & con-
servaretur extra Materiam, absque tali de-
pendentia, profectò educeretur è potentia
subjecti, & tamen non dependeret in conser-
vari: Ergo dependentia in conservari, licet com-
mitetur educationem, non est de intrinseca ra-
tione illius.

RESPONDETUR. Negando possibile esse, ut
absque tali dependentia conservetur materia-
lis forma, quia hæc dependentia est ipsamet
entitas materialis Formæ. Sicut ergo non
conservaretur sine sua entitate, ita nec conser-
varetur sine tali dependentia, licet conser-
varetur sine actuali unionem ad subjectum, quò
etiam modo conservantur accidentia Eucha-
ristica.

Dices tertio. Possibilis est Formaeducta,
quæ nonnisi per unum instans postulet dura-
re, vel quæ postulet quidem dependenter à
materia fieri, sed non conservari: ergo de ra-
tione educationis non est, dependenter à mate-
ria conservari.

RESPONDETUR. Qui negant tempus com-
poni ex instantibus, nec admittunt instantia
intrinseca. Negabunt antecedens, de quo
in Materia de quantitate: sed quia nos conce-
dimus instantia intrinseca, concedimus antece-
dens, neque enim clara illius apparet impli-
cantia. Negatur tamen consequentia, ex eo,
quia cum de facto dentur Formæ Materiales,
quæ

quæ non tantum per unum instans durent, debuit talis formari definitio, quæ etiam ad illas extendatur; & si sine controversia poneretur possibilis forma materialis, unò instanti durans, deberet definiti rigorosius loquendo, sic eductio, quod sit productio Formæ, dependentis in esse à Materia, cujus species esset dependentia esse in fieri, & alia species dependentia esse in conservari. An autem sit possibilis forma materialis, dependens in esse primò à materia, independens in conservari magnum dubium est. Unde enim illi hæc fortuna independendi in conservari? nam illa dependentia fundatur in ipso esse materiali, quod æquè est materiale in esse primò, ac in conservari. Si tamen ponatur possibilis talis forma, videtur fore media inter formas creatas & eductas, similes quidem eductis, quia esset materialis; similis creatis, quia in conservari independens à materia. Sicut enim producit ad existentiam materialium anima rationalis, & tamen conservatio illius dissimilatur eductioni, non enim conservatur ad existentiam materialium: ita & in præsentia, Forma materialis dependenter à materia produceretur, & in conservari non dependeret ab illa.

Dices quartò ex Pontio, anima rationalis habet suum fieri naturaliter in materia, ita ut esset miraculum, si fieret & non in materia, ad eum planè modum, sicut esset miraculum, si forma materialis fieret extra materiam, & tamen rationalis anima non educitur è materia. Ergo non est de ratione eductionis, ut fiat forma in materia, cum dependentia ab illa in esse & in fieri.

RESPONDETUR. Aliud est, animam rationalem fieri nonnisi in materia naturaliter; aliud est, animam rationalem fieri nonnisi dependenter à & in materia: primum illud convenit animæ rationali; secundum, nonnisi formæ eductæ: & sicut aliud est dicere, iudicium non exercetur legitime, nisi in curia, & aliud est exercetur à curia; primum verum, secundum falsum: ita & in præsentia, connaturaliter quidem fit anima nonnisi in materia, sed non dependenter à materia.

INSTABIS primò. Ipsum fieri & primò poni animæ rationalis, vel distinguitur à fieri animæ irrationalis, vel non distinguitur: si distinguitur per quid? Si non distinguitur, ergo in fieri suo educitur, ergo per solum conservari distinguitur à Creatione.

RESPONDETUR. Distingui ipsà conditione talis entitatis, quæ dependet à materia, & quia in ipso fieri est eadem entitas, quæ & in conservari, cumque causalitas materiæ non distinguitur à materia & ab illa Forma, sicut pro ipso fieri est materia, id exigens, & forma ita obligata; ita pro ipso fieri, est causalitas materiæ, dependentiaque à materia: & quia talem en-

titatem non habet anima rationalis, fit, ut in ipso fieri non dependeat à materia, distinguiturque fieri ipsius, à fieri animæ rationalis. Conveniunt quidem in hoc, quod utraque forma produci extra materiam connaturaliter non possit, distinguuntur tamen per conditionem entitatis, in ipso fieri respondentis, adeoque ipso fieri distinguuntur, quod fieri identificatur realiter ipsis entitatibus. Item condistinguntur ipso fieri, quia de fieri animæ rationalis falsum est dicere: quod sit fieri formæ, impotentis existere extra materiam, quæ tamen propositio est vera de forma materiali educta.

INSTABIS secundò. Quamvis sine novo miraculo non possit fieri anima rationalis, nisi in corpore organificato; nihilominus hoc non arguit, dependere animam rationalem à subiecto: ergo neque arguet dependere formas materiales à subiecto, quamvis sine novo miraculo, non possint extra subiectum conservari.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia producendo Deus animam rationalem sine miraculo, deberet producere eam ad existentiam causarum naturalium, non produceret autem eam ad existentiam causarum naturalium, si eam non produceret ad existentiam materialium: quod autem aliquid non posset produci nisi ad existentiam alicujus, non arguit hoc ullam causalitatem in ipso eo, quod producit, cum possit se habere, nonnisi per modum præexigiti; jam autem habere talem entitatem, quæ non possit fieri & conservari naturaliter sine materia, non potest esse per modum præexigiti ad formam eductam: ergo debet esse per modum dependentis, tanquam à principio & causâ, ab ipsa materia. Diceret etiam alius, quando anima rationalis produceretur extra corpus, futurum miraculum quoad modum; si autem produceretur extra corpus forma materialis, fore miraculum quoad substantiam.

Dices quintò. Habitus supernaturales creantur, & tamen postulant connaturaliter nonnisi in subiecto conservari & produci: Ergo de ratione eductionis non est, non posse fieri & conservari nisi in subiecto.

RESPONDET Mastrius: Etiam habitus supernaturales non creari, sed educi, licet è potentia obedienciali, ut vocant, undè etiam dicendum erit, modos non creari, sed educi; propriè tamen loquendo, non est dicenda quantitas educi ex sua potentia à materia, sed emanari, quia illud educi dicitur, ad cuius positionem extrinsecam, agens secundum in genere causæ efficientis natum est concurrere, idque ex usu vocis: cum tamen quantitas ab extrinseco secundo agente, non sit nata poni. Quomodo autem emanatio distinguitur ab Educatione, alibi dictum.

Hinc Colliges, pares esse in hoc creationem & educationem, quia producit utraque entitatem ex nihilo existentia: tam enim verè in se non est anima rationalis, ante sui positionem, quam verè non est in se forma bovis, ante sui positionem; Sed in hoc condistinguntur, quia per educationem producit Formam dependentem à subjecto, per creationem independentem à subjecto, quid autem magis dependentem à subjecto producit, quam illud, in cuius entitate est inclusum debitum non existendi extra subjectum, respondens juri Materiae, ne talis Forma extra se existat, per quod condistinguitur forma materialis in ipso etiam fieri ab anima rationali, de qua falsum est dicere, in ipso etiam fieri, quod non habeat jus existendi extra Materiam, quæ propositio est vera, de forma materiali.

COLLIGES etiam, Formas cælorum esse educationes, quia nullum est fundamentum, illas habere jus existendi extra subjectum. Quando autem cæli dicuntur creati, sumitur creatio liberalius, in quantum scilicet supponit pro defectu concurrentis alicujus agentis creati, in ipsa productione, non servando item ordinem quem natura præscripsit, hoc est, agendo sine prævisis dispositionibus, unde etiam forma materialis, exigens naturaliter fieri & conservari, non nisi dependentem à materia, hoc sensu posset creati, quia scilicet nullum efficiens creatum, esset illius productivum.

ADDO. Omni quidem formæ materiali competere hanc dependentiam, sed non per hoc illam in ratione materialis seu oppositæ spiritui constitui. Videatur insuper Materia de distinctione Creationis à re creata.

QUÆSTIO III.

De divisione formarum.

Formæ dividuntur in Substantiales, & Accidentales: illæ faciunt unum per se substantiale cum subjecto, non verò hæc. Rursus aliæ sunt Formæ totales, aliæ partiales, de quibus mox; aliæ subordinatæ, aliæ non subordinatæ. Subordinatæ dicuntur, quarum una indiget altera, eamque præsupponit: non subordinatæ, quarum una non indiget altera, nec præsupponit illam. Alia particularia harum divisionum hic attingenda, reliqua ex aliis materiis petenda. Antonomasticon quidem per unum per se intelligitur unum ex potentia & actu substantiali, cum ipsum Ly per se substantiam indicet: posset tamen concedi fieri unum per se, etiam ex actu accidentali & potentia substantiali, tunc, cum se habent per modum

perfectivi & perfectibilis, & dividi posset esse per se unum, in unum per se substantiale, & in unum per accidentale.

DIFFICULTAS I.

An detur Forma corporeitatis subordinata formæ totali &c.

DICENDUM est. Non dari; ita cum aliis Suar. præcipue Disp. 13. Sect. 3. num. 12. contra Scotistas.

PROBATUR primò, argumento negativo: quia nulla ejus necessitas, nullumque ejus adstruendæ fundamentum.

PROBAT secundò Suarius, assumendo principia oppositorum. Si daretur forma corporeitatis, eaque, ut volunt, coæva materiæ, deberet præstare materiæ gradum corporis, non nisi genericum, ut volunt adversarii; sed hunc præstare non potest. Tum quia nullæ dantur formæ accidentales, quæ dent esse tantum genericum colorati, & non talis colorati albi, nigri, &c. Tum quia in Angelis, non est ulla ratio generica spiritus. Tum quia si ab alia Forma habet Materia rationem genericam corporis, ab alia rationem specificam: ergo ratio generica & specifica corporis, distinguuntur realiter, cum sumantur à formis distinctis realiter; jam autem, si ratio generica animalis à ratione talis animalis, non distinguuntur realiter, nec rationes illæ corporis distinguuntur realiter.

PROBATUR tertio. Materia independentem ab omni forma corporeitatis superaddita, falsum est, quod sit spiritus: ergo verum est, non est spiritus, ergo ulterius independentem ab omni Forma superaddita, est corpus, quia aliàs istud non esse spiritus, quod est negativum, non haberet in quo fundaretur: non in ratione substantiæ, entis, potentia &c. quia hæc omnia competunt Angelo, in quo tamen non fundant negationem Spiritus, ergo hæc ratio fundari debet in ratione corporis; non enim in alia debite fundari potest, & hoc est, quod communiter Philosophi dicunt, Materiam esse corpus incompletum de se.

OBJECITUR primò Auctoritas Aristot. qui docet, animam esse actum corporis organici, hoc autem salvari non posset, si non daretur corporeitatis Forma coæva materiæ.

RESPONDERI potest, in sententia tenentium formas partiales, animam, esse actum corporis, per formas partiales organici; in sententia autem negante has formas, per Corpus Organicum, intelligi potest, non materia, sed totum compositum, quod est subjectum de-

nomi-

nominationis, ita, ut anima dicatur habere rationem actus, in constituto illo ex Corpore & Anima.

Obijctur secundò. Quantitas debet sequi ad aliquam formam substantialem, sicut & alia accidentia, sed antecedenter ad formas específicas, est in Materia quantitas, ergo & Forma substantialis, hæc verò non alia, nisi ista Forma corporeitatis.

RESPONDETUR. Accidentia activa, & quæ non sunt communia, debent sequi ad aliquam formam substantialem, secus accidentia non activa, & communia, quale accidens est quantitas.

Obijctur tertio. Non est principium aliud, quod det materiæ esse corporis saltem in homine, in quo cum forma sit spiritualis, esse corporis dare non potest.

RESPONDETUR. Esse corporis incompletum, habetur ab ipsa entitate materiæ & formis accidentalibus; esse autem completum, haberi potest ab ipsa anima rationali, quia esse hoc completum, non aliud est, quam esse materiæ unitæ cum forma, ad quam per se ordinatur, vique illius potens exire in actus sentiendi vegetandi, unde anima dat esse corporis viventis, corporis sentientis, &c. quæ omnia haberi possunt à forma substantiali spirituali. Imò retorqueri etiam posset argumentum primum, inquirendo, à quonam habeatur esse specificum corporis in homine, nam genericum habetur, ut dicis, à forma Cœva, specificum per te dare non potest anima, utpote spiritualis, ergo debes aliam, præter has duas, comminisci formam.

Obijctur quartò Mastrius. Anima rationalis nequit dare esse corporeum & extensum, cum in se sit spiritualis.

RESPONDETUR. Imprimis, esse hoc corporeum, non haberi ab anima, sed à Materia, & à formis accidentalibus, de quo infra. Deinde dici posset, quòd licet anima sit spiritualis, quia tamen essentialiter est ordinata ad corpus, perficere illud poterit in ratione corporis, saltem cum addito, hoc est, corporis viventis.

Quòd autem dicit, tale esse, non potest dare anima, nisi per informationem, quare in se ipsa esse deberet formaliter talis, sicut albedo, est, ut Quo albedo, & non virtualiter tantum, id non convincit in principiis nostris, quia illa non dat esse corporeum, sed hoc habetur à materia & accidentibus, quæ sunt corporeum quid. Sed tenendo etiam, quòd ipsa anima spiritualis det completum esse corporis, non convincit argumentum, quia licet tale esse det per informationem, quia tamen informat tanquam quidem forma spiritualis, simul tamen ut essentialiter ordinata ad corpus, hoc ipso poterit dare rationem completi corporis, suntque in hoc

paria, v. g. albedo & anima, quia non virtualiter, sed formaliter, dicit anima ordinem ad corpus.

Quòd autem non sit formaliter corporea, licet albedo sit formaliter albedo, oritur hoc ex perfectione ipsiusmet animæ, negaturque, rationem virtualis tantum, pertinere ad genus causæ efficientis, nam v. g. unus Imperialis, est virtualiter tres floreni, etiam hoc respectu, quia unus ille continet perfectionem nonaginta grossorum, inclusorum in tribus florenis. Si item species effectivè non concurrat ad actum, sed solum complet potentiam, species universalior Angelica, virtualiter erit inferior. Denique gradus inferiores spectati merè secundum perfectionem, virtualiter includunt perfectionem superiorum, nec tamen illos efficiunt.

INSTAT Trombeta apud eundem. Nulla Forma continet virtualiter effectum sibi repugnantem.

RESPONDETUR. Dare esse completi corporis, non repugnat formæ essentialiter ordinatæ ad corpus, talis autem est anima: unde albedo non potest dare virtualiter esse nigri, quia non ordinatur essentialiter ad nigrum perficiendum.

INSTAT secundò Mastrius. Ergo etiam forma corporea virtualiter continere poterit esse spiritualia.

RESPONDETUR. Quòd non: quia convenit quidem superioribus continere perfectionem inferiorum, sed non è converso.

INSTAT tertio idem. Etiam admissio, quòd virtualiter tale esse contineret, non proinde posset illud homini communicare, sicut Forma Solis, eminenter continet calorem, & tamen non facit solem formaliter calidum. Forma enim in tali genere dat tantum illud esse, quod in se habet.

RESPONDETUR. Licet continentia caloris in Sole non faciat Solem calidum, facit tamen alia calida: ita quamvis continentia complendi corporis, non faciat animam corpoream, poterit corpus complere: idque ideo, quia eminenter contenta, exercent suam eminentiam, non in ipsum eminens, sed in id, ad quod ordinantur.

Obijctur quinto. Etiam posito, quòd anima sit sensitiva, non potest viventi tribuere esse corporeum: quia esse corporeum, quod vivens exigit, est dissimulare & organicum.

RESPONDETUR. In nostris principiis, esse illud corporeum dissimulare, principiatur à dissimilibus accidentibus: sed qui illud diceret oriri à Forma sensitiva, diceret, quòd completivè etiam corpus dissimile, facere possit, eo quòd anima sensitiva, exigitiva sit hujus dissimilationis, & simul essentialiter ordinata ad tale corpus complendum.

Quod autem dicit Maftrius, dari continentiam inferioris in superiori per excessum perfectionis, sed non semper per continentiam effectuum inferioris, id non convincit. Cur enim hanc continentiam per excessum perfectionis, non habebit anima in ordine ad dandum esse corporis? Et quamvis non semper perfectius dicat continentiam effectuum inferioris, transcat; nam per Maftrium, non debet id prestare anima in genere causae efficientis.

Denique, cur anima superior non erit contentiva effectuum superioris? cum dentur superiora, quae continent effectum inferioris.

Reliqua solventur, ubi de Formis partialibus.

QUAERES. An tot sint Formae, quot illarum divisiones, an scilicet in homine alia sit anima vegetativa, alia sensitiva, alia rationalis?

ASSERO. Quod non;

RATIO prima ex Suar. Disp. 15. Sect. 10. n. 20. Anima vegetativa, v. g. in equo, non potest esse nisi contracta ad aliquam speciem, aliàs darentur individua generica, & posset esse aliquod individuum & singulare à parte rei, in nulla tamen specie constitutum: si autem est illa ratio vegetativi contracta, ergo debet esse contracta per rationem sensitivi, sibi identificatam, nam ratio differentialis Metaphysica, identificatur rationi genericae, rursus rationem vegetativi, non potest contrahere ratio sensitivi, ut sic, propter rationes adlatas, ergo contrahi debet per rationem ininhibibilem, ergo in re, non distinguuntur hi gradus.

RATIO secunda Hurtadi est. Non sunt tot materiae distinctae, quot praedicata essentialia: ergo nec tot formae, quot praedicata essentialia.

RATIO tertia est, posito, quod anima in bove alia sit vegetativa, alia sensitiva, alia mugitiva, quæro, illa ipsa mugitiva anima, vel est una, vel non est una? Si non una, ergo falso posuisti, tantum esse tres animas in bove: si est una, contra erit, quia per te illic multiplicandae sunt animae, ubi multiplicantur praedicata essentialia: sed in anima mugitiva, multiplicantur praedicata essentialia, certè enim ipsa in se anima mugitiva, est in plures divisibilis conceptus. Ergo. Quod si dicas, hæc omnia posse referri in idem realiter principium, idem & nos dicemus.

Principalis hujus asserti ratio est, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas multiplicandi has formas.

DICES primò. Anima rationalis est spiritalis, materia non spiritalis sed corporea; Ergo non nisi intermediis aliis formis, extrema tam dissita, conjungi secum poterunt.

RESPONDETUR. Non minus dissita est in ratione entis Forma sensitiva, à Forma rationali,

quàm sit dissita Forma vegetativa à forma rationali: nam tam vegetativa Forma, quàm sensitiva, sunt formae corporeae, & materiales. Porro non obest, ut extrema dissita in ratione entis, secum conjungantur, modo non sint dissita, per negationem ordinis & habitudinis; jam autem anima spiritalis, dicitur habitudinem ad corpus.

DICES secundò. In homine sunt operationes contrariae, ergo & principia harum operationum diversa, nempe animae: dicitur enim in Scriptura, quod caro concupiscat adversum spiritum.

RESPONDETUR. Sicut affirmare & negare sunt operationes contrariae, & tamen non est alius intellectus affirmativus, alius negativus; ita nec contrariarum operationum, debent esse diversa principia, tunc autem diversitas operationum arguit diversitatem principiorum, quando non potest referri in idem principium: tunc autem non potest referri in idem principium, quando est fundamentum colligendae separabilitatis principiorum, & quando ex identificatione illorum principiorum, sequitur confusio essentialium, nihil autem horum in praesenti ostendi potest. Locus Scripturae ita intelligendus, quod eadem anima, in quantum inclinatur à sensibilibus, ad sensibilia prohibita, repugnet sibi inclinatae ad insensibilia & divina.

DICES tertio. Aristot. 7. Metaph. cap. 10. asserit, partibus definitionis, respondere partes rei.

RESPONDERI potest: definitioni rei, datae, per partes Physicas, respondere partes Physicas, datae autem, per partes Metaphysicas, respondere etiam partes Metaphysicas. Quando verò idem 2. Metaph. c. 2. docet, ideo in formis substantialibus, non dari processum in infinitum, quia non datur in conceptibus, hoc etiam non obest: certum enim est, quod si multiplicarentur in infinitum formae, multiplicarentur etiam illarum conceptus quidditativi. Sed hæc mala consequentia multiplicatur; ergo & formae. Unde etiam colliges, animam vegetativam in homine non esseeductam, sed creatam, est enim eadem cum rationali, quæ nonnificatur. Cæterum non est dubium, quod eadem anima rationalis, prius præstet effectum vegetativæ, postea sensitivæ, demum rationalis.

DIFFICULTAS II.

An dentur Formae substantiales partiales.

CONTRA Thomistas Suar. Arriag. Ovied. & Calios, affirmant Scotistæ, & ex nostris Dand. lib.

di. lib. 2. dif. 8. P. 3. Smigletius & alii. Status questionis in hoc est: Volunt Scotistæ, dari formam substantialem in viventibus, v.g. in homine, ossis, carnis, nervi, condistinctam à forma totali, uti est anima rationalis, quas formas volunt esse subordinatas, eò quòd illæ ordinentur ulterius ad animam rationalem, examinandæ sunt rationes utriusque partis.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur argumenta pro Formis partialibus.

Primum Argumentum est Scoti, quod sic proponi potest. Posito, quòd non dentur Formæ partiales, si quis discipulorum in triduo mortis consecrasset, vel posuisset illic corpus Christi, vel non posuisset. Neutrum dici potest. Minor probatur, si enim posuisset Corpus Christi in triduo mortis, ergo corpus Christi in ratione corporis non constituitur anima, utpote quæ tunc non erat, ergo ulterius constituitur Forma corporis condistincta ab anima: si enim tunc posita fuisset anima: Ergo consecratione reductus fuisset Christus ad vitam; si autem non posuisset Corpus Christi in triduo mortis, aliquis discipulorum consecratione sub speciebus panis, ergo nec consecrasset, quod non concedunt oppositi.

RESPONDETUR. Imprimis difficultatem hanc solvendam esse ipsi Scoto: si enim in triduo mortis poterat poni sub speciebus panis corpus Christi consecratione, debuisset poni & anima, nam habuerunt potestatem consecratione, non solum, Corpus ponendi, habuerunt enim eandem specie potestatem cum nostris Sacerdotibus, qui non nisi simul ponere possant etiam animam; si autem posuissent etiam animam, cur non dicendi essent resuscitantes Christum? Deinde dici potest, non potuisset consecrare in triduo illo Apostolos, idque non defectu potestatis, sed defectu termini ponendi, nempe corporis Christi, idque animati, cum tamen tunc non fuerit animatum. Sed quia hoc videtur esse contra Sanctum Thomam, Tertiâ par. q. 67. art. 7. dici posset, quòd potuerint consecrare, potuerintque ponere corpus sine anima, hoc est, materiam cum talibus accidentibus. Vel etiam ponendo Sacramentaliter ipsam animam, neque tamen per hoc resurrexisset Christus, quia potuisset anima sub speciebus uniti corpori, non tamen corpori in sepulchro jacenti, penes quod præcisè spectari debuisset resurrectio, neque enim corpori replicato, repugnat in uno loco habere animam, in alio non habere.

INSTAT primò Pontius, in quantum dicitur poni tuac materiam cum accidentibus, & di-

cit, vi cuius responsionis sequi, quòd quando ex ligno generatus est ignis, verum est dicere, quòd corpus ligni, sit sub forma ignis.

RESPONDETUR. Esse illic non nisi ampliatiuè corpus ligni, quia non manet combinatio accidentium ligni.

INSTAT secundo idem. Si idem est corpus Christi, ac materia Christi, posset quis æquè consecrare cum hac forma, hæc est materia mea, ac cum hac alia, hoc est corpus meum.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum, & querendo; an cum hac forma, hæc est materia mea, cum forma partiali substantiali constituyente, v. gr. in ratione exigitivi quantitatis, possit quis consecrare? Directè dici hoc potest, quòd ad hoc; an teneat aliqua Forma Sacramentalis, non solum sit spectandum, an in re idem verba importent, sed etiam spectandum est, an usus communis ad eam rem significandam adstrinxerit hæc verba; & ita idem in re est dicere; Ego te baptizo in Nomine Trinitatis, ac dicere, baptizo te in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & tamen prior illa Forma non tenet, eò quòd usus communis, ad significandas distinctè tres personas, non assumpserit Ly Trinitas. Cum ergo ly materia prima cum accidentibus, non sit impositum ad significandum distinctè corpus, quantumvis in re, sit ipsa materia cum accidentibus talibus, ideo prædicta forma, non tenebit.

INSTAT tertio idem. Thomistæ censent, in toto composito subiectari accidentia, compositum illud est dissolutum: Ergo nec eadem accidentia manent, si autem subiectantur in ipsa materia, hoc imprimis falsum est: deinde, accidentia non ponuntur nisi per concomitantiam, corpus autem ponitur vi verborum, Ergo apparet, quòd corpus non dicat illa accidentia.

RESPONDERI posset. Secundum præiacta principia, accidentia subiectari, non in composito. Negando item, quòd accidentia constitutiva corporis, in ratione corporis, per concomitantiam ponatur, nec oppositum ullibi docuit Tridentinum.

SECUNDUM Argumentum est Pontii, fundamentum in Tridentino Sess. 13. C. 3. ubi dicit Concilium Corpus poni vi verborum consecrationis, concomitanter autem animam, ex quo loco sic format argumentum. Non potest corpus, quod ponitur per se sub speciebus panis, non potest inquam esse aliquid constitutum ex anima & materia prima: Ergo corpus non est materia per animam constitutum, quia si esset corpus constitutum ex materia & anima, tunc quando directè ponitur corpus, vi consecrationis, poneretur etiam anima utpote constitutiva corporis, ad eum modum, quòd

quò qui producit per se hominem, producit etiam constitutiva illius, ex Tridentino autem, non producitur directè in consecratione corporis anima. Si autem ad hoc recurras, quòd corpus constituatur materià cum certis accidentibus, contra erit, quia aliàs conversio Eucharistica, non tam esset transsubstantiatio, quàm transaccidentatio: quia esset mutatio in accidentia externa, quæ corpus, quæ tale, dicit; contra quam voluerit citatum Trident. C. 4.

RESPONDERI posset. Quòd intentio Tridentini fuerit declarare, quomodo totus sit sub utraque specie Christus, quæ intentio salvatur, etiamsi per animam constituatur corpus: noluit autem Tridentinum discurre, quid tandem sit constitutum corporis. Hæc de Tridentino. Quòd attinet ad difficultatem in sententia, quæ ponit corpus stare in materia, quæ de se est corpus, utpote condistincta à Spiritu, & insuper addit, accidentia aliqua organisationemque, in hac inquam sententia, ex vi verborum, nonnisi concomitanter ponetur anima, illa autem accidentia per se ponentur, cum quibus magis connectitur corpus sub formalitate corporis, quàm cum anima, quia per illa constituitur etiam in ratione corporis organici, erit autem adhuc tunc transsubstantiatio, quia erit conversio substantiæ panis, in substantiam Christi, quantumvis vi verborum ponatur materia Christi, quæ in ratione Organicæ, talibus accidentibus completur.

TERTIUM Argumentum est: Corpus Christi idem fuit sepultum, quòd fuit de Beatissima natum. Sed hoc esset falsum, nisi detur præter animam forma alia substantialis in Christo, quæ cum materia constituat corpus illud, quia corpus sepultum non potest esse constitutum in ratione corporis, anima, hæc enim non fuit in sepulchro: Neque recurras ad hoc, quòd corpus Christi sit materia cum accidentibus, aliàs accidentia essent de essentia Christi, sicut & ipsum corpus, & sicut dicitur corpus organicum, cum diversis accidentibus, ita dicitur, corpus non organicum, materia cum accidentibus ejusdem rationis, adeoque ignis constabit corpore & forma ignis.

RESPONDERI posset primò. Cum Cajet. & Suar. idem fuisset corpus supposititaliter, hoc est, terminatum eadem personà verbi, sed non erat idem formaliter.

INSTAT Pontius. Si verbum assumpsisset aliam numerò naturam humanam, eadem fuisset supposititalitas, & non idem corpus: Ergo ad hoc, ut dicatur idem Corpus Christi sepultum & natum, non sufficit, si sit idem supposititaliter.

RESPONDETUR. Non sufficere ut sit idem, si cætera sint imparia, v.g. si intercedat distinctio realis, in ipsamet materia, & quia hoc non con-

tingit Christo mortuo, sit ut idem sit Corpus. Cæterum hæc Responsio

NON SATISFACIT. Tum quia ex Mastrio aliud est querere, an idem maneat suppositum; & aliud, an idem maneat Corpus: verbum enim Divinum non dat esse corporeum, nec Patres dicunt, idem mansisse suppositum, sed dicunt, idem mansisse corpus. Tum quia si lignum assumeretur à verbo, & lignum converteretur in ignem, retenta unione verbi, cum materia ligni, non diceretur idem manere corpus Physicum, manente eadem supposititaliter materia: ergò nec nunc dicendum, ex eo manere idem corpus sepultum, quòd erat natum, quia idem est supposititaliter. Tum quia in ratione corporis, non supposito, sed anima constituitur: ergò si non manet anima, non manet idem constitutum. Cæterum si quis diceret, requiri animam ad esse compleri nonnisi corporis, benè se tueri posset, quòd in sepulchro non manserit idem corpus completè, sed incompletè: non mansit quidem completè idem corpus, quia ad hoc complementum in omni sententia requiritur anima, sed mansit incompletum, quia mansit materia, quæ est substantialiter corpus, manseruntque eadem accidentia. Ad quòd attendendo

RESPONDETUR secundò. Idem fuisse corpus sepultum & natum, quia fuit eadem materia, quæ est substantialiter corpus, cum iisdem accidentibus; nec sequitur inde, accidentia esse de essentia Christi, sicut & ipsum corpus, quia corpus, nonnisi secundum id, quòd dicit in recto, est de essentia Christi; in recto autem dicit materiam, quamvis corpus secundum id, quòd dicit in obliquo, non sit de essentia Christi, in obliquo autem dicit accidentia, ad eum modum, quo cœnæ, id quòd dicit in recto, est essentialiale, nempe comestio, illudque est exsatiativum appetitûs, tempus autem quòd dicit in obliquo, est extrinsecum & non exsatiativum. Neque inde sequeretur, quòd ignis constet corpore non organico, quia nomen hoc corpus, usus communis adstrinxit, nonnisi ad significandam in materia certam organisationem, ab heterogeneis accidentibus profectam; ex obiecto autem verum est, ipsam in se materiam esse corpus substantialiter incompletum.

INSTAT Pontius. Si sufficit ad hoc, ut dicatur corpus idem esse sepultum & natum, quia sunt accidentia illius sensibilia eadem, ergo poterit dici, substantiam panis manere in Eucharistia, quia manent accidentia illius sensibilia.

RESPONDETUR. Neg. Sequel. quia non manet eadem materia in Eucharistia, sicut mansit in sepulchro, cum tamen materia in recto importetur à corpore.

INSTAT secundò Mastrius. Quamvis in genito & corrupto eadem remaneat Materia cum iisdem accidentibus, non tamen dici potest, genitum esse corruptum, & idem numero compositum cum illo. Ergo & in presenti idem dicendum.

RESPONDETUR. Quia cum genitum non constituatur ipsa Materia & accidentibus, itemque corruptum, manente eadem materia & accidentibus, non poterit dici manere idem genitum, quod erat corruptum. Quia autem corpus constituitur materia & accidentibus, bene potest dici, si maneat in Christo eadem Materia & eadem accidentia, manere idem corpus.

INSTAT tertio. Esse carnem & nervum, est esse substantiale.

RESPONDETUR. Etiam in principiis Mastrii, esse carneum, nerveum, præter formam substantialem, dicit accidentia, ita, ut si illa non sint, non sit futurus, v.g. nervus; & si substantialitas nervi salvari potest ratione formæ substantialis, cur in nostris principiis salvari non poterit ratione materiæ, quæ est quid substantiale? Unde dici potest, esse nerveum, esse compositum ex substantiali & accidentibus, adeoque inadæquate esse substantiale.

QUARTUM Argumentum est: Si non dabantur in Christo formæ partiales substantiales: Ergo ne materia Christi maneret spoliata omni formâ, succedere debuit post separationem animæ Christi, forma cadaverea: hoc non potest dici, quia si successisset animæ Christi forma cadaveritatis, ergo verbum assumpsit hanc formam, hoc autem dici non potest, quia illam dimittere debuisset ad adventum animæ; dimittere autem non potuisset, propter Theologorum axioma. Verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit.

RESPONDERI potest variis visis. Imprimis successisse formam cadaverem etiam in Christo, an autem illam assumpsit Verbum, dubium est; fortè non assumpsit, propter illud dictamen Patrum, quod verbum semel assumpsit nunquam dimisit: fortè etiam assumpsit, & postea dimisit, quia id solum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, quod assumpsit ex primaria intentione, & ad hoc, ut redderetur homo, non ex primaria autem intentione, assumpta illa forma. Alii etiam dicunt, materiam Christi in triduo mortis, sub solis accidentibus remansisse, nec successit illa forma cadaverea.

INSTABIS. Supposito, quod verbum assumpsit formam cadaveris, vera esset hæc propositio: Verbum est cadaver, cadaver nos redemit, cadaver natum est ex virgine, quæ absurda sunt.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum,

etiam positis formis partialibus, corpus exanime est cadaver, adeoque Verbum, esse cadaver id est, corpus exanimatum. Deinde in forma concedi potest hæc propositio: cadaver est verbum, quia illius sensus est; corpus exanime, terminatum est persona verbi, quæ propositio est de fide. Reliquæ autem propositiones non sunt veræ, v.g. cadaver est natum de Beatissima, quia denominatio cadaveris advenire non potest, nisi cum est negatio animæ: quæ quia non erat in nato de virgine, cum nascebatur, cum redimebat, nec potuit verificari cadaver redemisse, cadaver natum de virgine, nisi fortè ampliativè, scilicet id, quod erat natum, factum est cadaver. Illustrat hoc Arriaga, quod universaliter non liceat argumentari à denominationibus, quas verbum uno tempore habuit, ad eas in omni tempore applicandas, sicut si Verbum fuisset unitum Angelo, & postea si dimissa ea unione, unitum fuisset naturæ humanæ, in eaque nos redemisset, falsa esset propositio, Angelus nos redemit: ita etiam falsa erit hæc propositio; cadaver nos redemit. Nec ulterius censendum est, aliud esse corpus Christi vivum, & aliud mortuum: quia sub alia est forma, quia divisio & alietas corporis, non est pensanda ex alietate, non nisi advenientis formæ substantialis, sed ex unitate ejusdem numero Materiæ, & eorundem numero accidentium. Hinc si corpori Petri, post abscissum animæ ejusdem, uniretur anima Pauli, idem uterque haberet corpus, quamvis diversam animam, non negatur tamen aliud compositum tunc haberi.

QUINTUM Argumentum. Si non darentur formæ partiales, non esset, quod colere merito possent Christiani in reliquiis Sanctorum; sola enim materia, non mereretur hunc cultum, aliàs carnes Sanctorum in substantiam bestiarum converfas possemus colere.

RESPONDETUR. Ratio colendi reliquias est; quia manet eadem materia, non quomodocunque, sed cum iisdem pluribus accidentibus, ita, ut non possit dici illa materia, jam esse aliud moraliter suppositi; quia autem in bruto jam est aliud materia suppositi, habetque diversa accidentia, deservientia ad aliam formam, non jam defectivam, qualis est cadaverea, sed perfectivam, qualis est forma bestiarum, vermis, &c. Et certe, si coleretur materia illa cum accidentibus bestiarum, jam non illud censeretur coli moraliter, & suo modo physicè, cum tamen cultus in moralitate vel maxime fundetur: & sic colimus crucem, quæ attigit Christum, non coleremus autem buccam Judæ Christum osculantis, quia idem moralitatis fundamentum non habemus, in actioneque hac, moraliter non censeretur Christo exhiberi cultus, sed Judæ.

Conti-

Continuantur alie rationes.

Posuimus jam argumenta Theologica, adferenda sunt Philosophica.

PRIMA ratio est Auctoritas Aristotelis, deficientis animam. *Anima est actus corporis organici, potentia vitam habentis*, quod corpus organicum, non potest esse sola materia cum accidentibus: ponat enim Deus unionem materie spiritui omnibus accidentibus, cum anima humana, vel constabit illud compositum corpore & anima; vel non constabit: si constabit, ergo sola materia est corpus, & non dicit illa accidentia: si non, ergo potest dari homo absque corpore, siquidem darentur essentialia hominis, hoc est, materia & forma.

RESPONDETUR. In illo casu fore compositum constans corpore, secundum id, quod dicit in recto corpus, non autem secundum id, quod dicit in obliquo: ut autem dicatur compositum aliquod esse homo, debet constare corpore & anima rationali, corpore, inquam, tam secundum id, quod dicit in recto, quam secundum id, quod dicit in obliquo. Finge in tua sententia materiam habere formam substantialem corporis, ossis, sanguinis, & nullam habere organisationem externam accidentalem, non habere v.g. humiditatem & fluiditatem sanguinis, duritiem ossis, eritne tum temporis homo vel non? Si non erit, ergo accidentia intrant essentialiam corporis; si erit, ergo massa una indigesta, inutilis ad functiones sensandi &c. erit homo, & breviter, quod tu de hoc composito in tua sententia dices, idem in presenti dicitur. Rursus, corpus organicum estne de essentia hominis, non? non potest non esse de essentia hominis, quia illa compars, per ordinem ad quam definitur anima, est de essentia hominis, sed corpus organicum est illud, per ordinem ad quod definitur anima. Ergo. Si autem corpus organicum est de essentia hominis, ergo accidentia sunt de essentia hominis, idque ideo, quia organisationis importat accidentia, hinc detur materia, dentur & forme partiales, & non dentur accidentia debita, certe non erit corpus organicum, ergo apparet, quod ratio organici etiam accidentia importet, quod si corpus organicum est de essentia compositi, rogo, cur accidentia non ingrediantur rationem compositi substantialis? Conformiter ergo ad materiam de connotatis, dici potest, organisationem petibilem ab accidentibus, esse quid accidentale corpori, necessario tamen requisitum.

SECUNDA ratio. Quando moritur homo, remanent in corpore ejus eadem accidentia numero, quae erant antecederent. Tum quia ita sensus ostendunt, quos falli nulla convincit ratio. Tum quia quae illic esset causa productiva accidentium tam similium: quid si remanent eadem accidentia, & quidem numero,

quaro, in vivo subiectabantur ne in toto composito, an in sola materia? Si in composito, ergo cum eadem numero maneant accidentia, debet manere idem compositum substantiale: ergo manet compositum ex materia & formis partialibus; Si autem subiectantur in sola materia, infero, si manent eadem numero accidentia in mortuo, ergo manebit & eadem forma substantialis, sed non totalis, ergo partialis, quod ipsum probatur, quia nisi forma eadem numero vel specie maneat, non possunt manere eadem numero accidentia, cum eadem forma & figura.

RESPONDETUR. Non posse manere eadem numero accidentia, (quae suppono subiectari in sola materia) nisi maneat eadem forma, si illa sit perfecta, & per se intenta a natura, posse vero manere eadem accidentia, si sit forma defectiva, qualis est forma cadaveris. Vidimus enim, quod quando perfectiva forme ligni, succedit forma perfectiva ignis, non manere eadem accidentia; succedente autem sola forma defectiva, ut cum exsiccat etiam arbor, manent eadem literae insculptae, eadem nodositates &c. arguimusque cum forma defectiva, posse manere eadem numero accidentia.

Idem medius terminus sic aliter proponitur a Mastrio Disp. 2. n. 62. Manent tunc eadem numero accidentia, ergo idem corpus, quod est eorum subiectum inhaesionis; non enim migrare possunt de subiecto in subiectum.

RESPONDETUR. Subiectum inhaesionis illorum accidentium manet immediatum idem, nempe eadem quantitas, mediatum item idem, nempe materia prima.

INSTAT primo n. 96. Materia non est subiectum immediatum accidentium, prius enim est compositum substantiale, quam accidentale.

RESPONDETUR. Esse prius compositum substantiale prioritatem dignitatis intentioneque naturae, sed non prioritatem praesuppositionis. Et certe materia debet praesupponi quanta, ut recipiat formam materialem, ergo praesupponitur jam compositum accidentale ex materia & quantitate, quae est accidens.

INSTAT secundo. Etiam si accidentia residerent in materia, tamen non sunt ei coeque, saltem omnia, & nova accidentia adveniunt cum nova forma, ergo etiam in proposito ita debet esse: non enim potest afferri ratio, cur formae tam diversae, ut anima, & forma cadaveris, eadem prorsus accidentia exigant, in materia.

RESPONDETUR. Concedo, omnia accidentia non esse coeque materiae, sed nego omnia non posse recipi mediate in ipsa materia, immediate in quantitate, adveniunt etiam cum

cum forma, quæ vocatur cadaverea, nova aliqua accidentia, licet non sint nobis nota, pululantia ex pugna, quæ intervenit in decessu viventis. Vel si hæc nolis agnoscere nova, quantumvis non nisi aliqua, disparitas est, quia illa forma cadaverea, cum sit nata sequi immediate abscissum formæ perfectivæ, ex ipsa immediata successione, debuit determinare sibi similia in specie accidentia formæ perfectivæ, hoc ipsò enim non esset nata immediate succedere, sed impediretur, quoadusque non producerentur illa accidentia. Quia autem formæ perfectivæ non sunt natæ sibi immediate, & quidem determinatè, succedere, ideo nec exigunt similia accidentia, vel potius eadem prorsus.

INSTAT TERTIO. Unde adhuc petenda est identitas accidentium in corpore vivo & mortuo, nam hæc non potest peti ex materia, hæc enim indifferens est ad omnia accidentia; & si dicatur esse eadem, quia non adest causa à qua fiant nova, eadem etiam ratione dici potest, etiam formam substantialem corporis, esse eandem, quia non potest assignari, causa à qua producatur.

RESPONDETUR. Causa indentitatis illorum accidentium est, ipsa forma defectiva, exigens multa eadem accidentia, cum forma, cui nata est succedere, & quidem determinatè, in talibus circumstantiis.

TERTIA RATIO EST, datur in cadavere hominis aliqua forma substantialis, sed non alia, quam quæ fuit ante mortem hominis, neque enim datur forma cadavereitatis, quia illius causa productiva assignari non potest; vel enim istam formam producerent causæ particulares, vel causæ universales; non primum, quia quando gladio transigitur animal, quid gladius habet virtutis ad producendam illam formam? & cum similis semper cadaverea forma resulter, qui à tam diversis principiis, causativis interitus humani, produci potest? Non secundum, quia causæ universales, non magis sunt determinatæ, ad producendam hanc vel illam formam, nisi determinantur à dispositionibus, quæ autem illic dispositiones determinant ad formam cadavereitatis, immò cum eadem mancant in vivo accidentia, quæ erant in mortuo, non possent determinare ad formam omnino dissimilem cadaveream.

RESPONDERI potest: inrepentino interitu, produci formam cadavereitatis à solo Deo, ad quem tanquam ad auctorem naturæ, spectat providere, ut res secundum exigentiam suam naturalem existant. Cum ergo deponat naturaliter existere materia, non nisi sub forma substantiali, ideo DEUS ad illam producendam tenebitur; quando autem sensum per naturalem corruptionem cedit a-

nima ex vivente, tunc agens destructivum formæ præteritæ, inducit cadaveream, vel suam propriam.

Addisoler, tot esse has formas cadavereas specie distinctas, quot sunt specie distincta ipsa viventia, & ita DEUS extinctæ homine repente determinatur, ad producendam formam cadavereitatis non nisi humanæ; ut autem connaturaliter illam producat, determinatur ab accidentibus, quæ eadem manent, licet non omnia, illis scilicet deficientibus, sine quibus vita continuari non potest, & licet hæc accidentia in præsentia eorum quæ perierunt, non possint determinare nisi ad animam, in absëntia tamen illorum determinant ad formam defectivam cadavereitatis, nisi ad sit illa forma inducta, v.g. embryonis, quæ ponitur, quando nec dum sunt dispositiones ad introducendam animam requiritæ & nisi adsit agens, quod ultiores dispositiones ad formam perfectivam producat, in his enim circumstantiis illæ dispositiones non determinant ad formam cadavereitatis.

Docet etiam Arriaga, causas contrarias, posse eandem formam cadavereitatis producere, si enim possunt formam carbonis, diversæ causæ producere, sive extinguatur aqua frigida, sive oleo calidissimo, sive cinere, sive naturali defectione ignis, cur non & formam cadaveream, adeo defectivam, producere poterunt etiam contrariæ causæ? Erit autem hæc forma utilis, ne materia maneat sine forma substantiali, quæ quia defectiva, non debet nisi valde debilitate conservare accidentia, ad quorum exigentiam est producta; ideo autem negatur hic influxus formæ cadavereæ, & tamen adstruitur hæc forma, quia non adstructa hac formâ, maneret materia sine forma substantiali, quod absurdum est in Philosophia communi: nullum autem est absurdum, si forma defectiva debilitate influat in dispositiones, ad quorum exigentiam est producta.

Defectibilitas autem illius formæ, ex eo colligitur, quia illa per se non intenditur à natura, bonumque universi postulat potius defectum talis formæ.

Admissâ ulterius hac formâ, docetur, carnem mortuam & vivam esse univocè carnem in re, quia in re caro non est, nisi materia cum talibus accidentibus, quæ eadem sunt abscedente in recenti formâ viventis, interdumque ex usu vocatur caro, & ita dicuntur homines comedere carnes; interdum non vocatur, nam non dicitur caro hominis tumulari, sed cadaver.

Nec erit absurdum, quod formæ distinctæ requirant similia accidentia, quia etiam distincta est forma vitri, glaci, crystalli, & tamen similia in multis requirunt accidentia, quod

quod multò magis verum est de formis defectivis, hoc est, natis immediatè sequi post expulsiōem formæ viventis, succedenteq; formæ cadaveris, non erit idem ratione formæ compositum, idem tamen ratione corporis incompletè accepti, quia eadem numerò, materia, & eadem accidentia.

INSTABIS PRIMO. Forma cadaveritatis solam privationem significat: ergò non est forma Physica. Antecedens probatur: cadaver significat corpus mortuum, corpus autem mortuum, est corpus vitæ privatum; sicut mors nihil aliud est, quàm corpus privatum vitæ.

RESPOND. Vulgariter corpus mortuum, est non nisi corpus vitæ privatum; Philosophicè autem requirit formam adhuc substantialiorem, natam succedere, quæ appellatur à nobis forma defectiva & cadaveria: & sicut per oppositos, manent formæ partiales, tuncque incipiunt habere rationem totalium, nec esset cadaver, si hoc non contingeret, quamvis vulgus ad hoc non attendat; sic & in præfenti, morsque vulgariter est privatio vitæ, sed Philosophicè, est etiam inductio formæ cadaveris. Hæc obiectio inferius plenius solve-

INSTABIS SECUNDO. Forma cadaveria, vel dat idem esse carni, quod antea habebat, & sic de cæteris partibus, vel non dat; si idem, ergò non differt substantialiter caro mortua, in esse carnis à carne viva, quod negatur, præcipuè, quia nova substantialis forma, qualis est cadaveria, deberet dare novum esse substantiale composito: si diversum, ergò si quis vendat in macello carnem bovis furtò sublata, posset verè jurare, se non vendere carnes bovis furtò sublata, quia juxta adversarios vendit revera alias specie carnes.

RESPOND. Expresè docet Arriaga n. 69. Carnem vivam & mortuam eandem esse univocè, accedensque forma, sive cadaveria, sive alia, ad eandem materiam, cum iisdem accidentibus manentem, debet tribuere novum esse completi & formati, sed non novum esse corporis incompletè sumpti, nec novum esse carnis, ad eum modum, quò in sententia oppositorum, si Deus retentis iisdem formis partialibus hominis, infunderet animam bruti, idem esset corpus, licet novum esset in ratione completi, formati &c. Deinde juramentum procedit secundum esse morale bovis, æstimationemque moralem: idem autem esse morale, convenit bovi vivo & mortuo.

INSTABIS TERTIO. Si Deus deberet producere formam cadaveritatis, extinctò repente animali, daretur instans, in quo esset materia sine ulla forma: nam in primo instanti, exigeret materia unà cum accidentibus produci formam cadaveritatis, in secundo instanti,

Deus determinaretur ad illam producendam.

RESPOND. Dari posse instans rationis, in quo intelligitur materia sine forma, sed non datur instans temporis: quia in eodem instanti videt Deus exigi à se, tanquam auctor Naturæ, illam formam, & in eodem eam producit.

INSTAT QUARTO Maltius. Connaturalius salvatur, materiam non remanere nudam in interitu animalis, si maneat cum antiqua forma mixtionis, quàm si dicatur, illicò formam cadaveris ab universali agente prodire, sine præviis dispositionibus.

RESPONDETUR, cum probandum sit, dari formam istam mixtionis, non erit connaturalius cum illa manere materiam, universalem etiam illud agens, producit non miraculosè illam formam, quia ad exigentiam ipsius materiæ, perentis non esse sine forma, ipsaque remanentia accidentia in abscessu aliorum, ad vitam requisitorum, incipiunt esse præviæ dispositiones, ad formam cadaveriam.

INSTAT QUINTO. Ad generationem substantialem, prærequiritur dispositio prævia & successiva, hoc autem non potest salvari in repentino interitu animalis.

RESPOND. Ut nullus est ita repentinus interitus animalis, quin qualem successiōnem admittat; ita consequenter poterunt tunc haberi aliquæ successivè introductæ dispositiones, ad formam defectivam.

Deinde, quamvis ad inductionem formæ perfectivæ id requiratur, non tamen ad inductionem formæ defectivæ: cum enim forma perfectiva non sit nata, non nisi post hanc formam substantialem, sequi, non determinabit sibi eadem accidentia, sed omninò diversa, quorum inductio successione indiget, forma autem defectiva, nata est sequi non nisi post hanc formam, & quidem immediatè, hinc fit, ut possit determinare sibi eadem accidentia.

QUARTA RATIO. Si non darentur formæ partiales substantiales, diversitas hæc accidentium, & Organisationis debita corpori humano, non haberet aliquod principium intrinsecum substantiale, sed debet habere: nam formarum substantiarum existentiam, ex diversitate accidentium, supra inferebamus. Sequela autem probatur, diversitas hæc accidentium non posset referri in materiam primam, quia hæc indifferens est, ad has vel illas potius formas, non in animam rationalem, quia hæc ex se est indivisibilis formaliter, & indifferens ad omnia illa accidentia, quæ conveniunt homini. Deinde, ut urget Pontius, causa naturalis eadem applicata, eodem modò passò, ejusdem rationis, debet habere effectum ejusdem rationis, juxta illud: idem mangens idem semper facit idem; neque valet, quòd anima rationalis sit virtualiter extensa, hoc est, continens in se perfectionem formam.

formarum extenfarum, neque enim ex hoc, aut ullo capite imaginabili potest fieri, quod in hac parte materiæ causet accidentia, ſpectantia ad oculum aut carnem, niſi ponatur aliquod determinativum: impoſſibile enim eſt, quod poſſit ab aliqua cauſa provenire naturaliter, & non liberè, aliquis effectus, hic, diſtinctæ rationis, ab effectu qui producitur, ibi, niſi ponatur aliqua ratio particularis, ratione cujus, hoc competat ipſi hic, & non competat ipſi, ibi.

RESPOND. Quod inchoativè & educitivè diverſitas hæc accidentium, non poſſit referri in ipſam animam rationalem, educuntur enim hæc accidentia, etiam ante inſuſionem animæ rationalis, ab ipſa virtute formatrice factis, & continentur à forma embryonis, radicaliter autem poſſunt referri in ipſam animam rationalem, cui debentur hæc diverſa accidentia, ad quorum etiam educationem, poſtea concurrunt non ſub formalitate, quâ indiviſibilis eſt, ſed ſub formalitate, quod ſit principium tam diverſarum operationum, ad quas exercendas, pluribus heterogeneis indiget organis; & ſicut, quamvis illa ſit ſpiritalis, poſſeſt dare rationem vegetati & ſentientis, corporis que completis ita poſſeſt inducere in illa, tam diverſa accidentia.

QUINTA RATIO eſt: Si non darentur formæ partiales ſubſtantiales, tunc manus deberet dici homo; ſicut, quia non dantur formæ partiales in aqua, gutta illius, dicitur aqua.

RESPOND. Ariaga: Non ſemper nomen etiam totius homogenei, tribuitur parti, & ita folio alicujus libri, non tribuitur denominationi libri, guttæ non tribuitur denominationi maris; & ratio à priori eſt, quia ſunt ſæpè nomina, quæ ipſam integram rei ſubſtantiam ſignificant, & talis eſt vox homo, quæ non tribuitur manui. Deinde, quod gutta dicatur aqua, non ex eo provenit, quia caret formâ partiali ſubſtantiali, ſed quia caret formis accidentalibus diverſis, quæ quia competunt homini, plura, quàm manui, ſit, ut manus non poſſit dici homo, poſſit autem dici gutta aqua, aqua. Minus autem illud convincit, quando aliqui urgent, ex eo debere dari formas partiales, quia gravitas & motus deorsùm, non poſſeſt referri in materiam, nec in hominem in formam, quæ eſt ſpiritalis, quia hoc, ſufficiet referre, ſine formis ſubſtantialibus partialibus, in diverſum temperamentum.

Punctum Difficultatis II.

Fundamenta negantium Formas ſubſtantiales partiales.

PRIMUM FUNDAMENTUM eſt. Unius entis, unum eſt eſſe: ergo & una

forma, quia forma eſt, quæ dat eſſe; ergo ulterius, ſi vivens habebit plures formas, non erit unum per ſe.

RESPOND. Communiter unius entis debere eſſe unam formam, ultimo complementem & totalem, nec ulterius ſubordinatam; ſed non eſt neceſſe eſſe unam formam, hoc eſt, cum excluſione etiam formarum incompletarum ſubordinatarum partialium: & ſicut in composito Metaphyſico una eſt forma totalis Metaphyſica, & tamen, cum hoc ſtat, ut ſint plures ſubordinatæ formæ Metaphyſicæ, v. g. viſibilitas admirativitati, admirativitas rationalitati, vegetativum ſenſitivo, ſenſitivum rationali &c. ita etiam in composito Phyſico, nihil erit abſurdum, dari plures formas Phyſicas ſubordinatas, & utrobique ſalva erit ratio unius, ad quod ſolum attendit objectio.

SECUNDUM FUNDAMENTUM eſt. Forma perfectior continet virtualiter imperfectiores, ut tetragonum trigonum, ex ſecondi anima Textu 31. Ergo & anima, quæ eſt Forma nobiliſſima, continebit formas partiales, ergo ſuperflue ponentur.

RESPOND. Sinata ſit idem facere forma perfectior, quod facit imperfectior, ſuperflua eſt forma imperfectior, & ita, quia nata eſt id facere anima rationalis, quod facit ſenſitiva, & in ſuper plus, fruſtranea eſt in homine, forma ſenſitiva diſtincta. Sed non eſt ſuperflua forma imperfectior, ſi perfectior non ſit nata idem facere, quod imperfectior; & ita, non eſt ſuperflua forma caloris igni, nec quantitas animæ. Cum ergo forma totalis non ſit nata idem facere, quod formæ partiales, & cum, illâ abſcedente, maneat hæc, ſit, ut formæ partiales, non ſint ſuperflue.

Quod ſi quæras, quid operentur formæ partiales? ad hoc dici poſſeſt, quod diſponant, ut commodius anima operari poſſit: & quia anima, cum ſit forma perfectior, requirit diſpoſitiones perfectiores, quàm aliæ formæ, præcipuè cum has diſpoſitiones non repugnet eſſe ſubſtantiales, erunt ſubſtantiales, & contra intentum arguentis, probat argumentum excluſionem formarum accidentalium, utpote contentarum in perfectiori.

TERTIUM FUNDAMENTUM. Si darentur formæ ſubſtantiales materiales, anima, v. g. rationalis, non constitueret unum per ſe cum materia, ſed conſtituit: Ergo. Sequela probatur, quod advenit enti in actu, non conſtituit unum per ſe, ut fert commune axioma; ſed anima rationalis adveniret materiæ jam in actu poſitæ. Ergo.

RESPOND. Quod advenit enti in actu ultimo completo & totali, non conſtituit unum per ſe, licet quod advenit enti in actu incompleto, ſubordinato, & perfectibili, poſſit conſtituere unum per ſe.

¶ in 2

IN

INSTABIS PRIMÒ. Ergò non poterunt naturaliter existere formæ partiales in materia, sine forma totali, utpote perfectibiles, complebiles &c. sicut materia non potest naturaliter existere sine omni forma, quia est complebilis &c.

RESPOND. Pontius, non ideò materiam non posse existere naturaliter sine omni forma, quia est perfectibilis, sed quia semper est sufficienter disposita, ad aliquam formam substantialem, & semper applicatur aliquod agens, ad illam in materia producendam: totum autem ex materia & formis partialibus constitutum, non semper habet dispositiones requisitas ad animam. Deinde dici potest, naturaliter posse existere formas partiales sine anima: quia licet sint perfectibiles, habent tamen rationem actûs Physici substantialis, informantis materiam, hoc autem, quod est informatum actû Physicò substantiali, habet jus existendi in rerum natura: præcipuè cum materia pro sua parte, ita sit Ens complebile, ut in nullo casu possit non esse Ens complebile; jam autem formæ partiales, sunt ens completivum. Sed de hoc etiam infra.

INSTABIS SECUNDÒ ex Johanne à S. Thoma apud Pontium. De natura formæ substantialis est dare esse simpliciter, & de natura Formæ accidentalis est dare esse secundum quid; sed nulla forma substantialis superveniens formæ substantiali, potest dare esse simpliciter; quia dare esse simpliciter, est facere rem extra suas causas, & existentem absque addito. Sed per primam formam accipit materia esse simpliciter, ergò non accipit eam ab anima rationali.

RESPOND. De natura formæ substantialis totalis, est, dare esse simpliciter, hoc est, totale, & ultimò; sed non est de natura formæ substantialis totalis, dare esse simpliciter in aliquo genere, seu parziale. Reliqua supponunt, materiam habere existentiam à forma, quod falsum est.

INSTABIS TERTIÒ. Illa forma subordinata, vel est sufficiens ad dandum esse simpliciter, vel non est sufficiens; si est sufficiens; Ergò est forma totalis & completa: si non est sufficiens; ergò non est forma substantialis.

RESPOND. Si formam subordinatam, velis in hoc sensu non dare esse simpliciter: quia non dat esse ultimò completum substantialiter, verum erit; si autem hoc sensu velis illam non dare esse simpliciter, quia non adfert ullum complementum substantiale, falsum erit.

QUARTUM FUNDAMENTUM est ex Arriaga. Nulla ratio est asserendi, formas partiales esse substantiales; non enim

ideò sunt substantiales, quia antecedunt, & sunt priores formæ; nam quantitas, & dispositiones antecedunt formam, & tamen non sunt substantiales: non item ideò sunt substantiales, quia petunt antè se alias dispositiones; nam etiam potentia accidentales (in sententia admittentium illas) distinctas petunt alias dispositiones, immò omnia accidentia petunt antè se quantitatem, & tamen non sunt substantia: non denique ideò sunt substantiales, quod efficienter producant alia accidentia: quia etiam calor est quid accidentale, licet producat alium calorem.

RESPOND. Esse substantiales, quia sunt radix proprietatum & qualitatum, v.g. forma ossis est radix duritiei, debet ossi; est radix tractivitatis cujusdam, quâ suggerere debitas qualitates, suæ augmentationi & conservationi aptas, possit &c. estque insuper substantialis, quia illâ ablata, non manet jam idem, ubi applicanda est explicatio, quid sit esse substantiale.

INSTAT idem. Quia dispositiones, antecedentes formarum substantialium partialium introductionem, per se ordinantur, & introducuntur à natura, propter formas partiales; sit ut illæ dispositiones non sint substantiales: ergò etiam cum istæ formæ partiales introducuntur à natura propter totalem, non erunt formæ substantiales.

RESPOND. non ideò aliquid non est substantiale, quia per se ordinatur ad aliud: alias materia, quæ per se ordinatur ad formam, non esset substantia; sed ideò aliquid non est substantiale, quia non est prima radix proprietatum; quia illæ adhuc ablato, manet idem de quo alibi &c. jam autem formæ partiales, in quacunque Ly: substantialis legitima explicatione, possunt esse substantiales.

QVINTUM FUNDAMENTUM est. Si sola anima rationalis potest tribuere rationem vegetativi, sensitivi: ergò & se sola potest tribuere rationem corporis: ergò nullæ dantur partiales formæ.

RESPONDET PRIMÒ Mastrius, disparitate esse; quia ratio corporis, est ratio secundum se materialis. At gradus sensitivi & vegetativi, abstrahunt à materiali & immateriali, & fundant rationem communem hominibus, brutis, & plantis, qui ad bruta & plantas contractus efficitur materialis, contractus autem ad homines, efficitur immaterialis.

CONTRA. Quia si abstrahit ratio vegetativi, & sensitivi à materiali: ergò & Angeli possent vegetari, & sentire: siquidem ratio communis sentiendi & vegetandi, potest esse communis materiali & immateriali. Deinde non explicat, quomodo ratio vegetati & sentientis, contracta ad animam, posset effici immaterialis: quomodo item ratio

ratio vegetati & sentientis, abstrahat à materiali & immateriali, non autem ratio corpori. *Hinc aliter*

RESPONDETUR SECUNDO, diffinitatem esse: quia cum ratio vegetativi & sentientis, abscessu animæ intereat, positio ne ponatur, benè inferimus, haberi hoc ab anima: quia autem antè introductionem animæ, datur talis combinatio, talisque formatio, quæ etiam durat post abscessum animæ, benè inferimus, illam non ab anima, sed ab aliis formis, adeoque partialibus, proficisci.

INSTABIS. Possunt dari formæ partiales subordinatæ. Ergò poterunt dari & formæ vegetativæ, sensitivæ, subordinatæ; item possunt dari formæ partiales, quæ dent talem in specie rationem corporis, ossis, carnis, &c. Ergò possunt dari & formæ partiales substantiales, vegetativæ, & sensitivæ, subordinatæ tamen, poteruntque dari & in homine animæ plures subordinatæ.

RESPONDETUR. Inintelligibile esse, quomodo possit dari ratio vegetativi & sentientis, non tamen ultima; intelligibile autem est, quomodo dentur formæ partiales: quia scilicet anima, respectu illius partis, dat effectum, quem in antè non præhabet, pars illa materiæ; nempe rationem animati. Rursus, quia abscedente animâ, non remanet ullum vegetativum, vel sensitivum, vel animatum, rectè inferimus, hæc omnia non haberi à formis aliquibus subordinatis, sed à sola anima: quia autem manet ratio ossis, carnis &c. abscedente animâ, inferre possumus, hæc aliunde, & non ab anima haberi, sed à formis partialibus.

Adferri potest in super ratio, cur anima humana non possit tribuere rationem corpori, ossi, nervo, &c. possit autem tribuere rationem vegetati, sentientis, quæ antequam proponatur.

SUPPONO PRIMO. Gradus superiores identificari inferioribus, sed diversimodè: nam si inferiora sint ejusdem rationis, adeoque materialia, tunc retentâ materialitate, superiora identificantur inferiori: Si autem inferiora non sint ejusdem rationis, tunc continentia in hoc stat, non quòd gradus ille, qui fuit materialis, reddatur spiritualis, ut volebat Mastrius, sed quia hoc, quod est inferius, natum est præstare, ratione suæ excellentiæ, id, quod præstant superiora.

SUPPONO SECUNDO. Quando dividitur substantia in corpoream & incorpoream, tunc anima rationalis revocatur ad membrum, quod est incorporeum: si revocatur ad membrum, quod est incorporeum, non potest esse corporea, nec de se præstare id, quod præstat corpus.

SUPPONO TERTIO. In divisione generis, quod est vivens, quod genus tam corporis, quam incorporeis est debitum, participat de hoc genere anima; est enim incorporea, vivens; quando autem dividitur animatum in vivens vegetativum, & non vegetativum; sensitivum, & non sensitivum; anima rationalis revocatur ad vegetativum, & sensitivum, idque ex vi ordinis ad corpus. *His suppositis*

RATIO est, Cur anima non possit tribuere rationem corpori, ossi, nervi, &c. possit autem tribuere rationem vegetati, & sentientis: quia anima, est inferius participans rationem & vegetativi, & sentientis; adeoque præstare poterit, quod præstat vegetativa & sensitiva: cum autem non participet rationem corporis, non poterit sine formis partialibus dare se solâ esse corporis, adeoque indigebit formis aliis partialibus substantialibus.

Quid de aliis Fundamentis.

SEXTUM FUNDAMENTUM est. Illæ formæ & essent partiales, & non essent: Essent, ut supponitur; non essent, ut probatur: quia essent formæ completæ, quod ipsum probatur. Tum quia quævis illarum, cum sit individua, adeoque in specie infima, debet habere speciem completam. Tum quia formæ lapidis, & formæ v. g. terræ, est forma completa: ergò & illæ partiales erunt completæ, utpotè nobiliores.

RESPOND. In hoc sensu formam partialem esse completam, quia non tribuit solum gradum genericum, sed tribuit speciem ossis, carnis &c. Sed non est in hoc sensu completa: quasi reddat materiam, non ulterius actuabilem, complebilem, animabilem; & quia formæ lapidis positâ, non redditur illa forma ulterius actuabilis, sit ut illa forma, non sit subordinata.

INSTABIS PRIMò. Si essent illæ formæ partiales, haberent se per modum dispositionum, hoc illis non convenit; æquivalent enim formæ totali, totamque materiam occupant, & ex eo ipso, quòd sint substantiales, sunt quod quid rei, quomodo ergò sunt, per modum dispositionis.

RESPOND. Quamvis æquivalent illæ formæ partiales, totali, in hoc sensu, quia ita nullam relinquunt partem corporis non informatam, sicut & forma totalis, non tamen æquivalent totali, ut excludant actualitatem ab alia forma, secum nata stare, dantque quod quid, sed non ultimum.

Quando autem ex eo aliqui urgent, non dari formas subordinatas: quia non dantur materiæ subordinatæ, id etiam non convincit: quia in materia non est ratio, cur hæc

tm 3

potius

potius pars, quàm illa, subordinetur, immò si daretur aliqua subordinata: illa non censetur esse subiectum primum; quia supponeret aliud ante se, nempe subordinans subiectum, unde illud potius esset subiectum primum, atque adeò materia; jam autem potest esse ratio, cur forma ossis subordinetur formæ animæ; cum etiam positò, quòd illæ formæ sint accidentales, subordinatio tamen est illis tribuenda, eò quòd ordinentur ad bonum animæ, cumque; definitivè, forma non sit actus primus, poterit benè, antè se supponere aliam.

INSTABIS SECUNDÒ. Non potest salvari partialitas istarum formarum, per hoc, quòd subordinentur totali formæ, quia subordinari non possunt: quod ipsum probatur. Ex scientia subalternata & subalternante, non potest fieri unum per se; ex fine item ultimato, & non ultimato, ex causâ principali & instrumentali: ergò nec ex forma subordinata, & subordinante.

RESPOND. Immeritò supponere objectionem, quòd ex formis partialibus, & totali fiat unum per se, sed sit unum per se ex materia & forma partiali, quia est actus & potentia ejusdem prædicamenti, sit item unum per se ex materia & forma totali; sed falsum est, quòd existis duobus actibus, inter se comparatis, fiat unum per se, si non ponatur, istas formas partiales informari à totali, quomodo enim coalesceret ex illis unum per se, si una non esset per modum recipientis, alia per modum recepti: si autem ponatur informari formam partialem à totali, posset dici fieri ex illis unum per se, disparitasq; dari poterit, quia ea, quæ antecedens continet, non comparantur inter se, sicut ordinata ad se, in genere receptivi, & receptibilis. Ita autem ordinantur inter se formæ partiales, & totales. Denique supponitur hic falsa Major, non potest esse subordinatum, ex quo, non sit unum per se.

INSTABIS TERTIÒ. Formæ illæ partiales & subordinatæ, non pereunt pereunte, v. g. anima bovis: ergò non sunt subordinatæ; nam pereuntibus subordinantibus pereunt subordinatæ, v. g. pereunte scientiâ subordinante, perit subordinata.

RESPOND. Falsum esse, universaliter loquendo, pereunte subordinante perire subordinatum: certè enim eques subordinat sibi frangum, quod non perit, pereunte equite. De scientia alia res est: quia si impossibilis esset scientia subalternans, hoc ipso etiam substantia subalternatæ impossibilis esset. Nam eadem est substantialiter scientia subalternans & subalternata, sed tantum accidentali conditione, quæ superadditur subalternatæ, differt: jam verò alia est substantia formæ totalis, alia substantia formæ partialis: hinc pereunte totali formâ, non erit necesse perire partialem.

SEPTIMUM Fundamentum est ex auctoritate Aristotelis.

PRIMUS LOCUS est ex 7. Mataph: Tex. 35. & 2. de Gener. animal. c. 1. ubi docet, carnem mortuam & vivam æquivocè esse carnem, perinde ac si ligneares, lapidea facta sit. Ergò apparet, superaddi illis formam cadavericam, nec eandem formam carnis manere.

RESPOND. Inprimis retorquendo argumentum in adversarios, per quos, quia caro non aliud est, nisi materia, & talia accidentia, quomodo illic æquivocè est caro? In forma autem respondetur communiter, carnem & reliqua organa, dupliciter spectari posse, vel ut sunt entia quædam, in hac determinate specie constituta, v. g. in specie ossis, pupillæ &c. vel certe ut sunt instrumenta, & organa animæ, sic sumpta in absentia animæ, sunt non nisi æquivocè talia, nullamque per se operationem exercere possunt.

SECUNDUS LOCUS EST ex 2. de Anima cap. 1. tex. 10. ubi ait, organicum corpus non præsupponi ab anima, sed fieri: si autem sit ab anima corpus organicum, quorum erunt formæ partiales superaddendæ?

RESPOND. Retorquendo argumentum in eos, qui organisationem à materia & accidentibus desumunt. Directè dici potest, corpus organicum, secundum quod est instrumentum, exercereque proximè & complete natum est operationes, non præsupponi, sed fieri ab anima, quamvis præsupponatur in ratione Entis dispositi &c.

TERTIUS LOCUS EST ex 5. Physic: Tex. 8. ubi ait: Quidquid movetur, est quod generatur, non est; cuius loci est iste sensus, illud quod movetur, est compositum substantiale, quod autem generatur, nondum est compositum, sed fit; cum ergò accessu formæ substantialis totalis moveatur illud, quod præsupponebatur compositum ex materia & forma substantiali partiali: ergò apparet, quòd illud non fuerit compositum substantiale.

RESPOND. Mastrius, accessu formæ substantialis totalis, moveri compositum illud ex materia & forma substantiali, adeoque illud non fuit totum ultimò completum; consequenter asserit, subiectū generationis careere esse completo & totali substantiali, sed potest habere esse partiale substantiale.

Aliter explicat Pontius. Quidquid movetur & non movetur motu generationis, debet esse ita independens ab illis motibus, ut non recipiat aliquod esse simpliciter per illos motus, hoc est formam substantialem, quæ sola dat esse simpliciter; quod verò movetur motu generationis, debet non esse, hoc est, debet carere illo esse, seu illâ formâ substantiali,

tiali, quæ per generationem acquiritur : quod verificatur etiam, positis formis partialibus, quia in generatione, positis illis, acquiritur forma substantialis.

Denique dici potest, hunc locum verificari in primis de formis partialibus : sensus enim illius est, quod movetur, jam est completum; quod autem generatur, acquirit complementum per formam; quod acquiritur etiam suo modo per formam partialem, quæ de novo producit, & non erat, quod etiam verificatur de forma totali: quia & illa in generatione non est, sed fit de novo.

QUARTUS LOCUS est ex 2. Physi: ubi definitur forma naturalis, quod sit principium motus & quietis. Formæ partiales non sunt principium motus & quietis: Ergo non sunt substantiales.

RESPOND. Negando, formas partiales non esse principium motus & quietis, si non progressivi, saltem alterativi & conservativi sui, contra alias dispositiones.

QUINTUS LOCUS est ex 1. de Generatio. c. 3. ubi inquit Philoso. unius corruptio est generatio alterius, quod falsum esset, si post abscissum animæ manerent formæ partiales, & non generaretur forma cadaveræ.

RESPOND. Sufficit, ut mediata sit generatio alterius. Deinde dici potest, corruptionem positivi, esse generationem negativam, sed non est necesse, esse semper generationem, non nisi positivi, quod videtur; docuisse ipse Aristoteles 1. de Gener. Tex. 21. Generatio, inquit, Entis, est corruptio non entis: corruptio autem entis, generatio non entis. Potest & aliter hic locus explicari. In omni corruptione inanimati, debet esse alicujus generatio, aliâ maneret materia sine forma substantiali: non enim haberet priorem formam, ut supponitur, quia jam corrumpitur, non etiam succedaneam, quia hæc negatur: in corruptione autem animati, licet interdum sit propria productio, interdum tamen est non nisi impropria, & liberaliter accepta, seu generatio æquivalens, quæ generatio æquivalens in hoc stabit, quod illæ formæ partiales, remanentes post abscissum animæ, incipiant novum gerere munus, & denominationem planè talem, qualem adfert forma de novo genita. Porro hoc munus, quod incipiunt gerere de novo formæ illæ partiales, per hoc exercetur, quia scilicet per accidens induunt rationem formarum totalium, compositumque illud ex materia & formis partialibus, incipit se habere, tanquam hoc demonstrabile, & hoc aliquid: non enim tunc jam dicitur caro hominis, os hominis, nisi ampliative; sed dicitur os, caro, sicut dicitur lignum, lapis; Porro etiam

ad adventum formæ totalis, seu animæ, est etiam corruptio totius, non propria, sed æquivalens: quia scilicet illæ, quæ præfuerunt formæ partiales, habebantque rationem totius, incipiunt gerere munus non nisi formarum partialium. Exemplificari hoc potest in numeris, sit numerus quaternarius, addatur ei unitas, post additionem unitatis, jam quaternarius ille numerus, qui antea totum numerum erat, additâ sibi unitate, incipit gerere munus partis: quinque enim, est ad sex, pars, si autem dematur illi unitas, incipit habere vicem totius: ita planè formæ partiales, additâ animâ, incipiunt habere rationem partialium; demptâ, rationem totalium, præter titulos totalitatis, supra explicatos, stantes in hoc, quia totalis, dum est, non reddit ulterius actuabile subjectum, secus partialis. Hinc ulterius salvari potest illud axioma: natura nunquam intendens malum, operatur: nam in corruptione inanimatorum, vel animatorum, per combustionem, v.g. inducitur nova forma, in corruptione autem animatorum, per naturalem deficientiam, vel interitum subitaneum: non intendit natura malum per se, sed per accidens, quoad usque scilicet, non inducantur novæ, ad novam formam, dispositiones; interim autem sequitur bonum, nempe, quod partiales formæ incipiant gerere vices totalium.

SEXTUS LOCUS est ex 1. de Gener. tex. 23. quod generatio sit mutatio totius in totum, nullò sensibili manente eodem, maneret autem idem sensibile, si manerent formæ partiales, eæque substantiales eadem.

RESPOND. argumentum, si, ut sonat, accipiat, probabit multum: quia probabit, non manere etiam easdem formas partiales accidentales; accidentibus enim vel maxime convenit esse sensibilia. Sufficiet itaque, quod non maneat idem subjectum denominationis; quia post abscissum animæ, illud compositum vocatur inanimatum, cum antea fuerit animatum, nec vocatur jam idem subjectum Petrus, nisi ampliative, cum antea fuerit formaliter Petrus. Deinde, admissis formis partialibus, fit mutatio totius in totum; quia scilicet illæ formæ, quæ per accidens habebant rationem totius, incipiunt habere rationem partis in generatione, & inductione formæ totalis.

Ad solvendas alias objectiones.

NOTO PRIMò: Tenere Pontium, quod forma substantialis incompleta ipsamet informetur à forma totali, ad eum modum, quò quantitas informatur aliis formis accidentalibus, ut potè quas recipit: & licet anima

non possit animari aliâ animâ, nec forma informari aliâ formâ, id verum est, de informari in eodem genere, sed non de informari in diverso genere; nam informari in eodem genere, merè otiosum esset, cum id habeatur ab una forma, quod alteri v. g. est albedo, non potest etiam sibi esse, nisi albedo: id autem quod adfert forma diversa, non confert præhabita forma. Sed potest etiam dici, quod à forma totali, non informetur forma partialis, sed quod immediatè recipiatur in ipsâ materia, licet talibus dispositionibus præinformata: & sicut dulcedo non recipitur in albedine, quamvis penetrent sese, quia non est subiectum aptum; ita quamvis forma totalis penetret partialem, non recipitur in partiali.

NOTO SECUNDO. Formas partiales in quantum gerunt vicem dispositionum, tenere se ex parte materiæ, in quantum autem sunt constitutivæ, talis in specie compositi partialis, esse illas formas, & educuntur de potentia materiæ, quam informabunt.

NOTO TERTIO. Unamquamque formam partialem, in se spectatam, homogeneam esse: sed comparatam ad aliam, esse formam heterogeneam. Rursus unamquamque formam partialem, in se spectatam, totalem esse, in eo sensu: quia eam partem materiæ, quam informat, totam informat; sed non vocari totalem, quasi non relinquat alteri formæ, in eadem materiæ parte, unâ secum locum, & quasi habeat jus in hoc composito, ad informandas etiam reliquas partes.

Punctum Difficultatis III.

Proponitur tenenda sententia.

DICENDUM EST. Probabilius esse formas partiales non dari.

PROBATUR PRIMO. Quia nulla est illarum necessitas ut patuit solutione objectionum.

PROBATUR SECUNDO. Possibile est esse corpus organicum, sine solis formis partialibus substantialibus, si sola materia habeat ea accidentia, non ad exigentiam formarum substantialium partialium, sed ad exigentiam nonnisi ipsius animæ; nec est ullum fundamentum hæc accidentia dari, ad exigentiam nonnisi formarum substantialium partialium; Ergo non dantur formæ partiales. *Qui ipse medius terminus sic aliter proponitur.* Ponamus in Petro formam substantialem ossis, carnis, esse annihilatam, & mansisse omnia accidentia ossis, nervi, sanguinis. Vel certè ponamus, non concurrisse DEUM, ad

productionem harum formarum substantialium partialium, sed solum ad productionem formarum accidentalium; vel manet tunc corpus organicum, vel non manet: si manet, ergo otiosæ sunt istæ formæ partiales substantiales, nam sufficienter materia aptatur his accidentibus; formæ, si non manet corpus organicum, cur non? dices, quia desunt formæ substantiales partiales? de his ipsis quæro, ad quid necessariae? cur ad organisationem non sufficient formæ accidentales nonnisi.

RESPONDERI potest retorquendo argumentum. Possibile est organisationem hanc non referri in homine, v. g. in ipsam existentiam animæ rationalis, sed in formas substantiales partiales, nec est fundamentum, quod de facto non referantur. Ergo dabuntur formæ partiales.

CONTRA. Tu affirmas dari formas partiales substantiales, ego nego, tibi ergo incumbit onus probandæ necessitatis. Deinde, pro nobis stat principium, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, adeoque nec ponendæ tot formæ substantiales; & tu necessitatem illarum non ostendis.

PROBATUR TERTIO. Tum quia hæc forma carnis substantialis, ut tu dicis, potest esse forma subordinata animæ rationali, potestque esse per modum dispositionis ad illam, ergo idem poterit facere & anima totalis, dicamque animam illam independentem ab unione alijs, esse formam totalem, sed non in circumstantia unionis alijs formæ. Tum quia possibilis est perfectior anima rationalis, & specie distincta, ab ea, quæ modò datur, cur ergo tali animæ, nostra anima, non erit per modum dispositionis ordinata, saltem pro alio rerum ordine? Tum quia una specie anima rationalis, dicitur exigentiam tot formarum, & heterogenearum formarum partialium substantialium, ergo dicere poterit una specie anima rationalis, etiam existentiam, tam diversarum dispositionum, si ne ulla specifica multiplicitate,

Sed præter adlata superius & expensa.

OBJICITUR PRIMO. Diversitas accidentium arguit exigentiam, & radicem istius diversitatis, quæ radix, est forma substantialis: Sed in composito humano, est diversitas accidentium: ergo illa arguit diversam exigentiam & radicem istius diversitatis, hoc est, diversam formam substantialem; sed non arguit diversitatem formarum substantialium totalium, ergo arguet diversitatem formarum substantialium partialium.

RESPOND. Diversitatem accidentium arguere diversitatem formarum substantialium,

tialium, in compōitis totalibus distinctis, v.g. in composito hōc totali, quod est Leo, & in composito totali hōc, quod est homo; sed non arguere in eodem composito: & sicut diversitas accidentium in diversis compositis, arguit distinctionem formarum totalium, non arguit in eodem composito, sic nec in illo arguet diversitatem formarum substantialium, ut appellantur, partialium. Quod ipsum ulterius in hoc resolvitur ideo diversitas accidentium, in diversis compositis, arguit diversitatem formarum: quia radix ostendi debet istius diversitatis, quæ, si non est materia, debet esse forma; diversitas autem accidentium in eodem composito, potest bene referri in ipsam animam: certè est in anima rationali per se, existentia istarum formarum substantialium, & non arguit in ipso exigitive distinctione specificam substantialem, ergo & existentia istius diversitatis accidentalis, in eodem homine, præcisè ex hoc titulo, non arguet diversitatem formarum specificarum substantialium. Hinc magis differunt inter se panis & caseus, quam caro & os: quia diversitas carnis & os, non est diversitas specifica substantialis, cum diversitas eorum accidentium possit referri in eandem animam, tam diversorum accidentium exigitive: diversitas autem accidentium panis & casei, non potest referri in eandem formam, adeoque hæc diversitas, debet esse diversitas specifica substantialis.

OBJICITUR SECUNDÒ. Notabiliter differre, est specie differre. Sed os & sanguis notabiliter differunt, ergo specie differunt. Ergo dantur formæ partiales.

RESPOND. Notabiliter differre, in accidentibus, est quidem specie accidentali differre, sed non est differre specie substantiali: os autem & sanguis differunt notabiliter, in accidentibus; nam eandem habent substantialem formam, unde etiam concedimus dari formas partiales accidentales, sed non substantiales.

OBJICITUR TERTIO. Si non darentur formæ partiales, in repentino interitu animalis, maneret materia sine omni forma, nam forma cadaveræ est fictitia, quod ipsum probatur, non producat DEUS formam cadaveræ, vel erit illud corpus exanime cadaver, vel non erit: si ergo, frustranea & fictitia est ista forma cadaveræ, si non erit cadaver: ergo non erit corpus exanime, quid enim est aliud definitivè cadaver, & quomodo non erit corpus exanime, & tamen de facto carebit animâ.

RESPOND. Ne maneat in repentino animalis interitu materia sine omni forma, admittenda est forma substantialis, nata immediate sequi post interitum viventis, nisi adit

agens propriæ formæ inductivum, appellam illam, ut vis, cadaveræ, formam corporeitatis, formam defectibilem &c. nihil autem aliud erit in re, nisi forma nata immediate sequi interitum viventis: adæquatè autem sumpta duo dicit, primò positionem formæ actuantis illam materiam, post abscissum animæ; secundo dicit non esse animæ: hinc si abscedente animâ Pauli, DEUS corpori ejusdem infunderet animam Petri, illud corpus non esset cadaver, quia non diceret negationem animæ; ut autem quid dicatur cadaver, debet dicere negationem omnis absolute animæ, quia aliàs vivens Petrus, cum dicat negationem animæ Pauli, deberet esse cadaver, nihilque in vivis esset, quod simul cadaver non esset. Ipsa autem positio formæ actuantis materiam, post discessum animæ, duplicis conditionis esse potest: Primò, ut sit forma perfectiva; ut, cum expulsa formâ ligni, inducitur forma ignis. Secundo, ut sit forma, quæ appelletur defectiva. Tunc autem inducitur forma perfectiva, cum jam eadem accidentia specialia non manent, sed alteratis illis, alia inducuntur: quando autem eadem manent accidentia, quamvis aliqua defuerint, tunc non inducitur forma perfectiva, sed defectiva, defectiva inquam, quia nata est induci, non nisi ob defectum aliorum accidentium, sine inductione novorum partium, habetque defectum virium, ut patet, ut non tantum in accessu ex cessu contrarii intereat, sed facile aliis cessu formæ, modo succedens forma habeat materiam, & accidentia relicta, quæ etiam alteri generationi deservire possit. Porro ut aliquid cadaver dicatur, necesse est induci formam illam, merè defectivam: nemo enim ignem genitum ex ligno, appellat cadaver ligni; nemo cinerem, in quem resolutum est ambustum corpus hominis, appellat cadaver. *Ex quibus*

COLLIGES, formam natam succedere, post abscissum animæ, non admittere nos ad hoc, ut constituatur formaliter cadaver: hoc enim sufficienter constituitur negatione vitæ, cum antea fuerit præhabita, sed admittimus, ne materia sine omni forma maneat.

INSTABIS. Admissione formæ cadaveræ multiplicari entia sine necessitate.

RESPOND. Esse necessitatem, ne materia maneat sine omni forma substantiali: immò ab oppositis multiplicantur potius entia, quia cum nos ponimus unam formam cadaveræ, illi ponunt tot partiales substantiales formas.

DIFFI-

DIFFICULTAS III.

De Componibilitate formarum distinctarum in eodem Subiecto.

Potest esse quaestio, & de eo, quod potest fieri naturaliter, & quod divinitus. Sit:

Punctum Difficultatis I.

Quid fieri possit naturaliter.

DICENDUM est, duas formas totales, seu non subordinatas, non posse naturaliter actuare eandem materiam.

PROB. PRIMO ex Suar. quia altera illa vel adveniret materiae jam actuatae per priorem formam, vel certè concomitanter, & simul cum alia adveniret. Neutro modo id fieri potest. Minor probatur: quia si adveniret altera forma illi priori: ergo non constitueret unum per se, non enim adveniret materiae constitutae in potentia substantiali ad illam, actuata enim priori formâ, est in potentia non nisi accidentali ad aliam formam. Concomitanter etiam illa altera forma non adveniret. Tum quia una forma determinat sibi materiam, ne sit capax aliâs formae, unde etiam videmus, ad adventum unius, expelli aliam. Tum quia materia habet limitatam capacitatem, & vim causandi formas; aliâs si potest informari duabus formis naturalibus, nescio cur non tot simul, quin pluribus? Hæc ratio infundatur principio Aristotelico, quod advenit enti in actu, non advenit per se, sed per accidens; sed si quis negaret hoc principium, non convinceret ratio, adferreque posset instantiam; quia supernaturaliter possunt duae formae substantiales, non subordinatae, uniri eidem materiae, & tamen utraque constitueret unum per se; non posset autem constituere, si verum est prædictum principium: quia potentia obediens non aufert veritatem axiomati.

PROBATUR SECUNDO. Quia unaquæque forma exigit certum qualitarum temperamentum, dispositiones, complexionem, sed hæc temperamenta non possunt esse pluribus formis debita, in eadem numero materia, ergo nec ipsæ formae. Minor prob. quia de se querent sese ad invicem illa temperamenta.

Sed, quid si essent dispositiones illæ merae, disparatae, & non pugnantes secum? quid si in pugnantibus dispositionibus sit æqualitas, & non nisi in ultima non agente ad invicem, diversitas, quantumvis revera in particulari has

dispositiones nominare, nec tales formas, tanquam hoc aliquid, demonstrare possimus.

PROBATUR TERTIO. Quia experientia est, quâ noscimus quasdam formas, non se ad invicem compari, ut formam ligni & ignis, attendendoque ad hanc pugnam, bene inferimus, etiam alias secum pugnare, præcipuè, cum intentio naturæ sit, varietate formarum, quæ se prodant per accidentia, & operationes diversas, mundo providere, quæ provisio non ita perficeretur intra eandem materiam, duabus formis positis.

Sed dici posset, licet se non compatiatur calor & frigus, non sequitur, quod se compati non possint, dulcedo & albedo; ita quamvis aliquæ formæ, non se compatiuntur, non sequitur, quod reliquæ etiam substantiales, compati se non possint. Et licet naturæ intentio sit, providere illâ varietate formarum, sicut providendo de varietate formarum accidentalium, admittit ex mixtura varietatum, v.g. teporem, cur non ex informatione ejusdem materiae, per diversas formas substantiales, non admittit varietatem? Hæc circa rationes communes.

CONFIRMATUR nihilominus Conclusio. Illæ formæ, vel essent tales, ut unaquæque sufficiat ad informandam materiam se sola, vel non essent sufficientes: si non essent sufficientes, ergo non procedit de illis Conclusio; hæc enim formæ, jam non essent totales; de quibus procedit Conclusio, sed essent subordinatae; Si autem sunt sufficientes, ergo alterutra foret otiosa: quamvis enim in causa efficiendi, bene possumus ponere attemperationem concursus, ut detur locus, etiam alteri ejusdem ordinis coefficienti; sed talis attemperatio in causa formali, nulla datur, cum causalitas causæ formalis in compositum, perficiatur ipsâmet entitate formæ, dantis se in partem, non apparet autem, quomodo entitas seipsam diminuere, attemperareque seipsam possit.

OBJICITUR PRIMO in ferrô ignito, est & forma ferri, & simul forma ignis: ergo naturaliter unam materiam possunt informare duæ formæ. Antecedens probatur, est illæ forma ferri, quia reducit se ad pristinum frigus, ferrum, quæ reductio, non in materiam, ergo in formam substantialem ferri reducenda est. Quod illæ sit forma ignis, probant accidentia debita formæ ignis, quæ illæ reperiuntur.

RESPOND. Intra poros ferri non continetur forma ferri, & intra hos poros est forma ignis: quamvis enim ferrum sit densum, propter tamen nimiam activitatem, & subtilitatem igni debitam, insinuat se in poros illius, & quia ex omni parte canderet: & licet concedatur, pauciores esse poros in ferro, quam in

in carbone, nihilominus magis urit ferrum, quia in illo recipiuntur, & concentrantur plures gradus caloris, neque enim ferrum, de facili igniri & calefieri potest: deinde proficitur hæc major uis, à pluribus exhalationibus & crassioribus, repertis in ferro, & incensis. Cæterum continetur etiam forma ignis, in aliquibus partibus ferri, sed expulsa forma ferri, hinc aliqua illius partes ita decidunt & ustulantur, ut nunquam se reducant ad pristina accidentia ferri, quod ostendit, expulsa fuisse formam ferri.

OBJICITUR SECUNDO. Possunt plures formæ accidentales, in eadem parte materiæ recipi; ergo & plures totales substantiales recipi poterunt, in eadē parte materiæ.

RESPOND. PRIMO. Disparitatem esse, quia una forma substantialis, potest esse sufficiens ad plura munia, v. g. in homine, intelligendi, volendi, sentiendi, vegetandi; cum autem una forma accidentalis, non sit sufficiens ad plura munia, hinc albedo, non nisi dealbat, & non extendit, ideo materia pluribus formis accidentalibus indigebit.

CONTRA est, quamvis anima rationalis sit sufficiens ad plures actus, se concernentes, non tamen ad actus, se non concernentes: cur ergo locum nō dabit illi formæ, quæ possit illos actus exercere.

RESPOND. SECUNDO. Disparitatem esse: quia substantialis forma est perfectior, non erit ergo valida argumentatio, ab imperfectiori ad perfectius.

CONTRA; ab imperfectiori ad perfectius, non valet argumentatio viâ negationis, sed tenet in multis viâ affirmationis. Cur ergo etiam in præsentī non tenebit?

RESPOND. TERTIO. Disparitatem esse, quia una forma accidentalis non est sufficiens ad informandam materiam, constituendumque compositum per accidens; sufficiens autem est unaquæque forma totalis, ad informandam substantialiter materiam.

PROBATIO hujus conclusionis, ejusque defensio, inde habet difficultatem; quia non possumus ostendere claram implicantiam, & ex vi substantialis, qua talis formæ, petitam, quod in alio rerum ordine, non possit fieri naturaliter, ut una materia informetur duabus substantialibus formis; non demonstramus item, quod sit materia determinata, non nisi ad unam formam, præcipuè casu, quō non exigantur dispositiones contrariæ.

OBJIC. TERTIO. Potest esse una forma in pluribus materiis, ergo & plures formæ in eadem materia.

RESPOND. Negand: Antecedens, quia hōc ipso illa forma esset in pluribus locis, vel esset apta esse, vi illius unionis; nullum autem Ens in pluribus locis, suppono, adæqua-

tis, potest esse, immō nec successive, potest esse eadem forma in pluribus materiis, quia aliās frustra essent generationes de novo, possent enim tantum antiquæ formæ reiteratō induci; necesse item esset unā formā separatā, omnes saperari, nam naturaliter forma materialis, non potest esse sine subiecto: nec potest una, cum altera, simul informare, ergo deberet illam expellere, propter easdem rationes, expulsa deberet aliam expellere, & sic de cæteris. Sed sit:

Punctum Difficultatis II.

An possint divinitus plures formæ totales esse in eadem Materia.

DICENDUM est, *Possē*: Ita Scotistæ, & cum illis Svar: disp. 15. Sect. 10. n. 60. & ordinariè alii Nostri, contra Thomist. & nostrum Vasques.

PROB. PRIMO, Quia in hōc nulla implicantia.

PROBAT SECUNDO Hurtad: potest divinitus simul existere in eodem subiecto calor summus, & summum frigus: Ergo & formæ substantiales, tam contrarias qualitates requirentes, possunt esse simul. Rursus, possunt divinitus duo corpora esse in eodem loco, ergo & duæ formæ.

PROBAT TERTIO Mastrius. Potentia materiæ non est determinata, tantum ad unam formam, unde, cum unam recipit, adhuc retinet capacitatem ad alias, non tamen eam potest simul recipere, quia una forma aliam expellit: ergo tota ratio, cur simul non possint esse duæ formæ in una materia, non est referenda in intrinsecam exigentiam materiæ, sed provenit hoc ex parte formarum. Hōc positō, ita ulterius urget. Effectus formalis primarius formæ, est actuare materiam, secundarius autem est expellere formam aliam: sed hic effectus secundarius impediri potest, sicut & effectus secundarius quantitatis.

RESPOND. Non omnes effectus secundarios impediri posse, nam, v. g. ad positivam entitatem hominis, sequitur hoc secundarium, nempe negatio lapidis, & tamen hoc DEUS impedire potest.

CONTRA. Tum quia cur non ad classenz impedibilium revocari debet expulsio formæ? Tum quia aliud est secundarium prædicatum posse impediri, & aliud, secundarium effectum: prima propositio est falsa; quia, cum secundarius conceptus sit idem realiter cum primo, solumque ratione differunt, si ponitur unum, debet poni & aliud, jam autem secundarius effectus non est idem reali-

realiter cum effectu formali primario. Porro negatio lapidis in homine, est secundarium prædicatum, non autem secundarius effectus. Tum quia, ut addit Mastrius, aliud est loqui de negatione essendi, & aliud, loqui de negatione essendi cum alio, illam priorem negationem, necessario importat secundum omne ens, sed hanc secundam, non necessario. Huius ipsius ratio est: quia si forma necessario diceret negationem essendi, cum alia, etiam formæ accidentales, non possent se comparari; jam autem, quæcunque forma, etiam accidentalis, dicit negationem essendi aliud, & ita albedo, dicit negationem essendi aliud, negat enim quod sit dulcedo. Horum ulterior hæc potest assignari ratio, quia si forma non diceret negationem essendi aliud, v. g. si albedo non diceret negationem dulcedinis, & esset albedo, & non esset: esset, ut supponitur; & non esset, quia esset dulcedo, quod ipsum probatur, non diceret negationem, seu non esse dulcedinis, ergo diceret esse dulcedinis; ex contradictoriis enim, alterutrum dici debet.

CONFIRMATUR Conclusio, contra quosdam, qui asserendo substantiam, distinguere à se substantiam, ponunt, posse naturam subsistere duplici substantiâ. Tene enim paritas. Potest natura eadem divinitus subsistere duplici substantiâ, ergo & eadem materia, informari duplici formâ.

OBJICIUNT PRIMÒ Complutenses. Effectus secundarius non potest impediri à Deo, quando habet tantam cum primario connectionem, ut non foret primarius, nisi subqueretur secundarius; sed si non esset expulsio unius formæ, adveniente aliâ formâ, illa altera non haberet rationem actus primi, de ratione cuius est, ut non sit cum illo alius actus primus, neque præsupponat illum, sicut de ratione materiæ primæ est, non præsupponere aliam materiam.

RESPOND. In primis definitivè, formam non esse actum primum, aliâ nulla forma, etiam accidentalis, posset supponere aliam, sed posito, quod de ratione formæ substantialis sit, esse actum primum, hæc primitas, in hoc solo stabit, quia non præsupponit necessario aliam ante se formam substantialem: sed inde non sequitur, divinitus illas consistere secum non posset, salvâ primitate, quia adhuc de utraque verum esset dicere, hæc forma, nullam aliam ante se necessario præsupponit: & sicut: A Latinum, & Alpha, Græcum, sunt duæ literæ primæ, in unaquaque lingua, nec una primitatem adimit alteri, quamvis unius figuratio, non sit alius figuratio; ita & in præsentia, & certè non magis debet esse forma actus primus, quàm materia, & licet unaquæque pars materiæ sit actus primus, ni-

hilominus una pars, non excludit aliam, ergo nec unus actus primus, excludet alium, saltem divinitus.

INSTANT PRIMÒ. Licet possit aliquis secundarius effectus positivus, impediri à Deo, non potest negativus, ergo cum expulsio formæ aliæ, sit effectus negativus, non poterit impediri à Deo. Antec. prob. quia & forma cadaveris, dat cadaveri, secundario privationem vitæ, ex intrinseca sua ratione, nec per potentiam DEI, potest impediri, quin sequatur ista privatio, aliâ idem esset vivens, & non vivens: Ergo idem dicendum est de aliis secundariis effectibus, quod sint inimpedibiles.

RESPOND. Privatio vitæ, aliunde habetur, & non à forma positiva cadaveris, hinc illa etiam non posita, esset formaliter cadaver, ut dictum supra: ceterum divinitus positiva forma, quam appellavimus supra defectivam, potest divinitus stare cum forma viventis, neque tamen tunc erit simul, vivens, & non vivens, quia non erit simul privatio omnis vitæ, & positio vitæ, nam illa forma defectiva nata est tribuere denominationem, non viventis in circumstantia privationis omnis vitæ, de quo supra.

INSTANT SECUNDÒ. Quod ex se non potest aliquid, non potest illud, nisi aliquid ipsi addatur, per quod possit illud: sed materia est impotens, connaturaliter loquendo, ad excipiendas simul duas formas, ergo nec supernaturaliter potest illas recipere, nisi addatur ei aliquid.

RESPOND. Etiam in summo, non potest simul materia habere duas qualitates pugnantes, quid ergo illi additur? & si in hoc recurras ad concursum indebitum, idem & nos dicemus.

OBJICITUR SECUNDÒ. Esset illud compositum unum numerò, quia Aristot. 8. Metaphys. c. 9. dicit: ea esse unum numerò, quarum materia est una, & non esset unum, quia constaret pluribus formis, quarum singulæ, natæ sunt facere unum per se, consequenter hoc compositum, est Chimæra.

RESPOND. Compositum in adæquate constituitur à materia, quæ, cum numero una sit in hac suppositione, etiam compositum à parte materiæ, erit in adæquate unum, quia tamen compositum constituitur etiam formâ, & hæc supponitur multiplex, à parte formæ multiplex compositum erit.

INSTANT PRIMÒ. Etiam si forma sola sit diversæ speciei in homine, & equo, tamen homo dicitur simpliciter diversæ speciei, ab equo: ergo etiam si materia, tunc esset in illis duobus, eadem numerò, quia tamen formæ essent numerò distinctæ, absolute ea composita, deberent dici totaliter distincta.

R E.

RESPONDETUR, diversam esse hanc propositionem: Composita constantia eadem numero materiâ, sed diversis formis informata, sunt distincta simpliciter, & alia hæc; Composita constantia eadem numero materiâ, sed diversis formis informata, sunt distincta adæquatè, & totaliter: nam illa prior non excludit aliquid, quod sit idem in illis, sed tantum importat aliqua principaliter, & sine addito esse distincta, quæ distinctio tunc est, quando formæ, quæ principale quid sunt in subiecto, manent distinctæ. Posterior verò propositio ostendit, nihil in illis esse idem numero, vel quomocunque distinctum, quod certè non potest dici de compositis, de quibus hic agitur, hoc autem solum voluit præfens responsio. Illustratur hoc instantiâ, alia est hæc propositio: homo & equus, sunt distincti simpliciter, & alia hæc: homo & equus sunt distincti totaliter, hoc est, nihil habent commune: prior propositio est vera, posterior falsa; ita & in præsentī. Auctoritas Aristot: alibi manet explicata, forte etiam per materiam, non intellexit primum subiectum Physicum, sed intellexit differentiam materialem, seu individualement; nam differentiam formalem, dicit ille, esse specificam, indubiè autem idem sunt numero, quorum indifferentia individualis eadem numero, nec illud compositum foret chimæra, quia posita unione formæ panis & formæ vini, cum eadem materia, prædicata essentialia panis, non essent prædicata essentialia vini.

INSTABIS SECUNDÒ. Quando albedo & dulcedo, insunt eidem subiecto, non potest dici, quod sint duo composita accidentaliter simpliciter, hinc, quamvis aliquis habeat duas scientias, non posset dici, quod sint duo scientes, sed unus sciens, quia concretum accidentale non multiplicatur ad multiplicationem formarum: ergo etiam, quando illæ duæ formæ substantiales, essent in eadem materia, non posset dici, quod sint substantia composita, duo simpliciter.

RESPOND. disparitatem esse, quia multiplicatis formis accidentalibus, non censentur multiplicari concreta accidentaliter. Consequenter nec posset dici, concreta esse distincta simpliciter, multiplicatis autem formis substantialibus, saltem in adæquatè, multiplicarentur concreta.

OBJIC. TERTIÒ. Si una materia, divinitus saltem posset informari pluribus formis, v.g. si una materia, informaretur & formâ lapidis, & formâ panis, sequeretur quod posset dici lapis est panis, panis est lapis; sed hoc est absurdum, & chimæricum. Sequela prob: quando una forma informatur pluribus formis accidentalibus, v.g. quantitate & albedine, verum est dicere, album est

quantum, quantum est album: ergo etiam si materia informaretur formâ lapidis, & panis, verum esset dicere, lapis est panis, panis est lapis.

RESPOND. nullum est absurdum, dicere, album est dulce; est autem absurdum, dicere, panis est lapis, quod ipsū probatur: quia in priori propositione, non est sensus, albedo est dulcedo, cum album & dulce, non substantivè sumantur: in hac autem propositione, panis est lapis, sensus est iste, substantia panis, est substantia lapidis; nam hæc substantivè sumuntur, hoc autem dicere, est chimæricum, hinc si legitima est comparatio, institui deberet ad panem & lapidem, quæ sunt substantiva, comparari deberet albedo & dulcedo, quæ etiam sunt substantiva, eritque proportio, quia sicut posita albedine & dulcedine, in eadem materia lactis, falsum est dicere, albedo est dulcedo; ita posita formâ panis & lapidis, in eadem materia, falsum est dicere, panis est lapis. Ulterius, si legitima comparatio fieri deberet albi & dulcis adjectivorum, comparari etiam deberent concreta ex formis substantialibus adjectivè expressa, v.g. lapifatum hoc est formâ lapidis actuatam, est panifatum, hoc est formâ panis informatum: & tunc sicut, verum est dicere, album est dulce, ita verum erit dicere, lapifatum, est panifatum. Reliqua, quæ urgeri possent, petantur ex Materia de subsistentiâ.

INSTABIS. DEUS & homo sunt nomina substantiva, & tamen quia hæc duo, sunt sibi unita, in uno supposito, dicuntur de se invicem. Ergo etiam lapis & panis, quamvis sint nomina substantiva, quando uniuntur cum eadem materia, dicuntur de se.

RESPOND. quod homo & DEUS, dicantur de se, proficiscitur hoc ex identitate Personæ, seu suppositi, adeoque quia ordinantur ad se, tanquam perfectivum ad perfectibile. Jam autem si forma panis & lapidis, eidem materiæ unirentur, nec eandem naturam, nec idem suppositum habebunt, nec formæ ordinem dicent inter se perfectibilis substantialiter, & perfectivi, consequenter dici de se non poterunt.

OBJICITUR QUARTÒ. Si unirentur duæ formæ substantiales eidem materiæ, & constituerent illæ formæ unum per se, & non constituerent: constituerent, quia ex actu & potentia, substantialibus, fit unum per se; & non constituerent, quia quidquid advenienti in actu, constituit Ens per accidens, altera autem forma, adveniret enti in actu.

RESPOND. Prædictum axioma attendere ad id, quod naturaliter fit, & cum enti in actu de facto, quod advenit, adveniat non nisi accidentale, fit, ut cum illo constituat Ens non nisi per accidens, sed quod divinitus advenire possit,

possit, ad hoc non respexit axioma, utpotè Physicum, & naturalia respiciens; sed si adveniat aliquid substantiale, quod advenire non nisi divinitus natum est, nego, quòd sit constitutum ens per accidens.

INSTABIS. Positò casu dictò, compositum illud, quod est panis, constitueretur illò casu intrinsecè forma lapidis, & non constitueretur: non constitueretur, ut supponitur; & constitueretur, quia forma lapidis intrinsecè reperiretur in illo composito, quod est panis, quidquid enim intrinsecè reperitur in materia compositi, intrinsecè reperitur in composito, in composito autem, quod est panis, reperitur forma lapidis.

RESPOND. Illud compositum, quod est panis, non secundum quod est compositum, quod est panis, habet in se formam lapidis, sed secundum quod est lapis.

OBJICITUR QUINTO. Ponamus unam materiam, informari duabus animabus rationalibus, vel, operante unà animà, necessario operaretur altera, vel non? Neutrum dici potest. Non primum: Tum quia hujus nulla necessitas. Tum quia cum illæ formæ sint diversæ, Ergò sunt & diversa principia actionis, consequenter unò principiò operante, non est necesse operari aliud. Tum quia saltem unà operante liberè, posset altera non operari liberè. Non potest etiam dici secundum, quia organa haberent communia.

RESPOND. Docere cum Mastrio non paucos, quòd operationes inorganicas possit non exercere altera anima, unà easdem exercente. De operationibus organicis sub distinctione dicendum erit, si enim sint operationes organicæ independentes ab imperio voluntatis, unà operante, necesse erit operari & aliam, quia habetur determinativum aliunde, nempe ab objecto & natura principii, qualis operatio est: videre, positis prærequisitis; Aliæ autem sunt operationes organicæ, pendentes ab imperio, v.g. deambulatio, sessio, &c. & tunc verum quidem est, corpus non posse dividere suum situm, sed potest una principiari deambulationem, non principiari altera, unde enim ad hoc necessitaretur? & si non necessitaretur, habente unà, actum internum volitionis deambulandi, ad habendum actum internum deambulandi, ita nec necessitaretur ad deambulationem, quæ præsupponit illam volitionem. Nec obest, quòd habeant organum commune, quia adhuc, ut dicatur anima operari, non sufficit organum commune, corporisque talis vel talis situs, sed insuper concursus activus aliùs animæ, quem, unà animà præstante, nego ab alia anima præstari, debere.

Sed ponamus, quòd unirentur anima lupi, & agni, voraretne lupo agnum, quoad partes quas attingere posset? Tota difficultas in hoc

est; quia videtur lupo prohibendus dolore, quem sentire deberet in illo voratu, nam voraret materiam, suà animà informatam, & si veniret canis, morderetque illam materiam lupi formæ & agni informatam, doleret uterque, ita & in præsentì. Neque valet, si dicas, potest uniri forma lupi, materiæ eidem, cum forma agni, non tamen ut informatum formæ lupi; consequenter non sentiret dolorem, non inquam valet, quia non recipi formam lupi, in materia, prout informatam formæ agni, nihil aliud est quàm unam formam, non recipere aliam formam, hocque benè intelligitur: sed quia morsus infixus à lupo, recipere in materia, quam etiam forma lupi informat, & quia dolore, est recipere qualitatem in materia, quæ hæc forma informat, sit, ut ex illa connexion, etiam lupo doleret. Erit tamen tunc rabies lupi, in agnum, licet à morsu prohibendus sit dolore, præcipuè, quia illa materia bonum etiam est commune utrique.

Quoad figuram externam attinet, ea fortassis appareret, quæ antecederet alterius formæ positionem. Quòd si simul utraque forma poneretur, pertinet ad Deum determinare figuram, vel certè media aliqua figura appareret, confimilis in aliquo, lupo, confimilis agno, nam in eadem parte materiæ, duæ figuræ esse non possunt, nam figura est ipsa entitas materiæ ita situata, quæ respectu sui, diversitatem non potest habere. In casu verò, quò duæ animæ rationales unirentur, & una darenaretur, alia salvaretur, determinatio de corpore ad Deum pertineret, vel fortè replicaretur. Nabuchodonosorem habuisse duas formas, negatur communiter, sed solam figuram externam.

ADDÒ denique, si illa materia non haberet organisationem debitam utrique formæ, (ad quam organisationem non attendit Deus, miraculosè operans) tunc utraque forma, non omnes suas operationes exerceret, sed eas quarum haberet organa, & hæc propositio: hoc compositum est ovis, vera esset hoc sensu, hæc materia est informatam formæ ovis, sed non hoc sensu, hæc materia habet rationem corporis ovini organici.

Respondetur reliquis objectionibus.

OBJICITUR PRIMÒ. Si materia posset alteri etiam formæ divinitus uniri, posset etiam infinitis.

RESPOND. posse uniri infinitis syncategorematicè; neque apparet, quomodo hoc, infinitatem virtutis in materia arguere deberet: Sicut enim, cum una materia, successivè pluribus formis informatur, non plurificatur virtus receptiva in materia; ita nec si infinitis syncategorematicè formis informatur, infini-

infinitari deberet: & sicut potest intellectus creatus omnia possibilia in Deo videre, quamvis infinita perfectionis in se non sit futurus; ita & hic. Verum quidem est, quod si materia plus virtutis deberet habere, quando simul duas formas recipit, verum inquam est, futurum hoc, quod ad infinitas formas, infinitam virtutem habere debet, sicut quia ad portandum simul duo ingentia saxa, major vis requiritur, quam ad portandum successive; hinc fit, ut ad saxum, infinita si daretur gravitatis, infinite magnum robur requireretur, sed quia non est major virtus in materia, requisita ad duas formas, quam ad unam, tota enim virtus illius, est, ipsa entitas illius, dicens rationem potentiae, quae respectu unius ac plurium formarum, eadem est; ideo etiam ad infinitas, etiam categorematicè, si darentur, formas, non requireretur in materia, infinita virtus.

OBJICITUR SECUNDO. Non potest natura terminari pluribus subsistentiis, ergo nec materia pluribus formis.

RESPONDENT, Distinguentes entitativè subsistentiam à natura, negando Antecedens; distinguentes autem connotato, negando consequentiam, Dispar: quia cum subsistentia sit ipsa inrecto natura, sicut tunc, cum est una natura, non est nisi una natura, ita & una non nisi subsistentia, Deinde, quia implicat aliquid esse unum, & tamen habere bis, rationem totius: cum ergo subsistentia sit habere rationem totius, non poterit natura una, duplicem habere subsistentiam. Nullum autem simile absurdum sequeretur, si duae formae actuent eandem materiam.

OBJIC. TERTIO. Potentia illa materiae ad duas formas, vel esset naturalis vel obediencialis: Non primum: quia alias posset naturaliter recipere duas formas; Non secundum: quia potentia obediencialis est in ordine ad agens.

RESPOND. Matrius, hanc potentiam in ordine ad formas disparatas, esse naturalem, naturaliter tamen duas formas materia recipere non potest, non propter incapacitatem materiae, sed propter impossibilitatem formarum, quam illarum repugnantiam non potest vincere agens naturale, nisi per potentiam obediencialem.

Ceterum distinguendae hinc veniunt aliquae propositiones, quae etiam superius dicta illustrabunt: Materia habet potentiam, hoc est, inclinationem & appetitum, ut à pluribus formis informetur simul, & haec propositio est falsa; quia alias esset contra illius naturam, non habere simul plures formas, sicut quia habet inclinationem, ne careat omni forma, est contra naturam illius, spoliari omni forma, & cum plures formae non habeant jus, ut simul in eadem materia recipiantur, ita nec materia,

tanquam quid relativum potentiae, ad formas praedictas, habet jus, ut plures formas recipiat. Alia autem est haec propositio: Materia habet potentiam, hoc est, non repugnantiam, entitatemque capacem recipiendi plures formas, & haec propositio debet esse vera; si enim haberet repugnantiam, & quidem in genere causae materialis, illamne, Deus quidem, salva illius Entitate, vincere posset, cum enim illa repugnantia, sit ipsamet entitas talis, si habet repugnantiam, non habet entitatem talem: hinc sicut manente entitate tali, non potest Deus facere, ne sit talis: ita si habet repugnantiam, non potest Deus facere, ut habeat non repugnantiam, adeoque ut possit illas recipere. Rursus, cum receptio illa sit in entitate materiae, si in ipsa entitate recipi non potest, quodcunque superadditum, sicut illi non conferret entitatem de novo, ita nec conferret vim de novo recipiendi. Hinc incapacitas recipiendi, non debet referri in entitatem materiae, sed in defectum principii inductivi duarum formarum; cumque materia, non sit determinata ad unam non nisi formam, hoc ipso habet capacitatem ad plures.

OBJICIT TERTIO. Pater Adrianus Pikarski, illis duabus formis, in eadem materia positis, & constitueretur unum per se, & non constitueretur: constitueretur, ut supponitur; non constitueretur, ut probatur. Unum per se est illud, quod habet negationem alterius totius, seu quod per se est indivisum in aliud totum, ut patet definitione unius: atqui si duae formae substantiales in ea materia unirentur, non possent constituere compositum tale, quod habeat negationem alius totius, seu quod esset indivisum in aliud totum. Minor prob: Tunc unum totum communicaret se realiter individualiter physice acceptum alteri toti, ergo non esset ab illa forma totali, in praesentia alterius formae, constitutum habens negationem alterius totius, seu non esset indivisum in aliud totum. Antec: prob: posita anima bovis & leonis in una numero materia, ex anima & materia bovis fiet bos adaequatum compositum, & adaequatè constitutum, quia totum, & totaliter habebit, quod requiritur ad substantiam illius essentialem Physicam, & individualement, realiter existentem, idemque fiet de composito hoc, quod est leo, & tamen erit aliquid utrique commune: Ergo tunc unum totum communicaret se realiter individualiter alteri toto.

RESPOND. fore tunc unum per se, nego autem unum per se esse illud, quod habet negationem adaequatam alius totius, cum possit esse unum per se, & habere vel adaequatam vel inadaequatam alius totius negationem. Porro in praesenti, ratione materiae ejusdem, non diceret unum totum, adaequa-

tam negationem aliis totius, & licet illud compositum foret adæquatè constitutum, non tamen adæquatè distinctum, nempe à composito habente eandem numerò materiam, sed diversà formà informatum.

Retorqueri etiam potest argumentum de composito, successivè eandem materiam participante: quomodo enim sunt unum & indivisum unumquodq; si communicant eandem materiam, quòd si dicatur inadæquatè, hæc composita sibi communicare, idem & nos dicemus.

INSTAT PRIMÒ idem. Istæ duæ formæ, eandem materiam actuantes, & constituerent duo adæquata composita, & non constituerent: non constituerent quidem, quia deberent illam materiam ad tot composita adæquatè sumpta determinare, ad quor composita nata sunt determinare, quod ipsum probatur, plura adæquatè composita sunt, quorum entitas adæquata plurificatur, sed illorum compositorum entitas adæquata non multiplicaretur, non multiplicaretur enim materia, quæ etiam adæquat pro sua parte, seu constituit compositum; Constituerent autem duo adæquata composita, quia forma substantialis nata est, non nisi adæquatum compositum constituere, forma enim totalis, habens adæquatam sibi materiam, nata est ponere adæquatam compositum, sed in casu nostro essent illæ formæ totales, & singulæ haberent materiam sibi adæquatam; ergò natæ essent componere adæquatum compositum.

RESPOND. Retorquendo argumentum, quod scilicet probaret, ne quidem duas formas accidentales posse esse in eadem materia, quia natæ sunt constituere adæquatum compositum accidentale, quod constituere non possent, quia illorum compositorum adæquata entitas non plurificaretur, siquidem eandem haberent materiam; item retorqueri potest, quòd ne successivè quidem eadem materia posset duabus formis substantialibus informari, eò quod non posset tunc materia determinari ad duo adæquata composita; siquidem tunc materia non plurificaretur, sed eadem utrobique numerò esset: adæquata autem composita sunt, quorum entitas adæquata plurificatur.

Deinde dico, duas illas formas constituturas duo adæquata composita, non hòc sensu, quòd sint constituturæ adæquatè ratione utriusque partis distincta composita, sed hòc sensu, quòd scilicet utrumque compositum haberet materiam, haberet & formam, quæ sola duo nata sunt adæquare compositum, quæ distinctio reliquis etiam propositionibus applicanda.

INSTAT SECUNDÒ idem: si illa composita essent inadæquatè distincta, etiam opera-

tiones illorum essent inadæquatè distinctæ: modus enim operandi sequitur modum essendi; sed hoc non potest dici, quia aliàs posita formà lupi & agni, si appeteret lupus vorare agnum, & agnus timeret vorari, quomodo in illo appetitu lupi involveretur timor agni.

RESPONDETUR: Essent illæ principia operandi activa, nempe formæ adæquatè distinctæ, consequenter & operationes, in ratione actionum spectatæ; sed solum principium passivum non esset distinctum, hoc est materia; hinc & actiones, prout receptæ, non distinguerentur in subjecto, in ratione subjecti.

INSTAT TERTIÒ idem ingeniosè pro suo more. Si ex duabus formis substantialibus, & una materia, posset fieri duo tota adæquata inadæquatè distincta, ex tribus hominibus posset fieri quatuor adæquati homines, quamvis inadæquatè distincti, quod est absurdum. Sequela probatur, ex tribus hominibus posset fieri duo paria adæquata hominum, ergò fierent ex tribus quatuor homines adæquati. Anteced. prob. unum compositum ex materia & formà lupi est unum par: aliud compositum ex eadem materia & formà agni esset aliud par: Ergò si ex duabus formis & una materia posset fieri duo paria, etiam ex tribus hominibus poterunt fieri quatuor homines.

RESPOND. Inprimis retorquendo argumentum, quomodo ex albedine & dulcedine posset in eadem materia, tanquam tribus, non fiat quatuor. Rursus quando eandem numerò materiam successivè duæ formæ totales informant, quomodo, inquam, ex tribus non fit quatuor: deinde sint tres, Petrus, Paulus, Johannes, eat associatus Petrus Paulo, en tunc fit unum par: eat idem Petrus associatus Joanni, en secundum par: ergò ex tribus fit quatuor.

Directè autem ad argumentum dici potest, quòd ex tribus fieri possint duo paria adæquata, inadæquatè tamen distincta, licet non possint fieri adæquatè distincta.

INSTAT QUARTÒ idem. Id quod est essentiale Petro, & est singulare, non potest esse commune Paulo: Materia est essentialis Petro, & singularis; Ergò eadem non potest communicari Paulo.

RESPOND. Argumentum probare, quòd eadem materia, ne successivè quidem, communicari possit alteri. Porro quod est essentialis Petro, estque singulare, habetque se ut pars Metaphysica, non potest esse quid commune Paulo, secus, quod se habet ut pars Physica, estque subiectum mutationum. Cujus ulterior ratio est, quia partes Metaphysicæ, sunt identificatæ realiter, hinc una

unâ communicatâ communicatur & altera, consequenter indistinguentur jam numerô. Partes autem Physicæ, sunt distinctæ realiter, hinc communicatâ unâ, non est necesse communicari alteram, sed potest habere alteram partem, ratione cuius distingui poterit individualiter, licet inadæquatè.

INSTAT QUINTO. Assumendo medium terminum, quòd tunc fieret ens rationis, si eadem materia formaretur & forma bovis, & formæ leonis, tunc de essentia bovis physicè spectata, communicaret leo, communicaret enim de eadem materia; hoc autem est absurdum: si enim communicaret leo de essentia bovis Physicæ spectata, communicaret etiam de essentia bovis Metaphysicè spectata, quia impossibile est, esse essentiam Physicam, sine Metaphysicâ, hoc autem est impossibile.

RESPOND. argumentum probat, nè quidem successive posse eandem materiam informari duplici formâ. Directè autem dici potest, quòd si leo communicaret de essentia bovis adæquatè spectata physica, communicaret etiam de essentia bovis Metaphysica; secus, si communicet de essentia Physica inadæquata, de quo infra.

Hoc idem principium sic aliter proponit. Non minus est unum compositum physicum, ex anima & corpore, in ratione unius, quàm sit unum compositum Metaphysicum: Ergò si animal in homine non potest communicari, quin communicari debeat rationale, ita nec communicari poterit totum Physicum secundum materiam, quin communicetur secundum formam.

RESPOND. Negand. Antecedens, impossibilis est enim unitas tanta compositi Physici, quanta compositi Metaphysici, quia unitas compositi Metaphysici, est, per identitatem utriusque extremi, jam autem unitas compositi Physici, est per unionem, stante alicuius reali partium unitarum: hinc non ideo præcisè animal & rationale in homine fiunt unum, quia anima rationalis & corpus, fiunt unum, aliàs quando separantur anima & corpus, etiam animal & rationale separarentur. Si enim uniuntur propter unionem illorum Physicam, ita & separari deberent propter disunionem & separationem illorum, oppositorum enim oppositi debent esse effectus. Si autem non tanta est unitas Physica, quanta Metaphysica, poterit ex uno Physico, esse alteri aliquid commune, quin sit commune aliud inclusum, intra illud unum, non poterit autem communicari unum, Metaphysicè, quin communicetur aliud, inclusum in illo uno.

Eundem medium terminum sic aliter proponit.

Corporeum quod est in homine realiter existente, non potest communicari duobus individuis Metaphysicis, ergò etiam & materia non potest communicari duobus individuis Physicis.

RESPOND. Negando Consequentiam, quia gradus genericus Metaphysicus corporei, est idem realiter cum individuatio: hinc si idem numerô Metaphysicus gradus corporei, duobus communicaretur, hòc ipsò communicaretur idem gradus individuis, adeoque non essent duo individua; salvâ autem individuatione, aliâ quoad formam, potest communicari eadem materia.

Fundatur hæc responsio ad hanc instantiam in hoc principio. Compositio Metaphysica, est compositio per rationem, si est compositio per rationem, non est inter extrema distincta realiter, si non est inter extrema distincta realiter, si unum extremum competere realiter, competere & aliud; cumque compositio ex animali & rationali, sit Metaphysica, necessariò debet esse per rationem, supponereque utriusque extremi identitatem. Nihilominus hæc compositio potest appellari realis, hoc est non ficta; ut autem non sit ficta, debet habere fundamentum in re, fundamentum autem in re Metaphysicæ compositionis in homine, est materia & forma hominis. Porro ut à materia inadæquatè sumi possit ratio animalis, non attenditur, an hæc, vel non hæc, numerô sit materia, aliàs si hoc attenderetur, tunc ex materia hominis à lupo vorati, non posset partialiter desumi ratio animalis in lupo, siquidem utrobique eadem esset materia, attenditur ergò præcisè ad rationem materiæ ita organisatæ & rationem formæ, & quia si eadem materia informaretur formâ agni & lupi, utrumque compositum haberet materiam & formam, ideo utrumque compositum foret animal, Ne autem dicatur, positò, etiam quòd eadem utrobique sit materia, idem utrobique esset animal, hoc inde est, quia ratio animalis ab utraque parte desumitur, si ergò vel altera, vel utraque pars non sit eadem numerô, nec idem numerô erit animal, sicut ut dixi, non est idem animal in lupo & homine, quamvis homine voratò, eadem sit numerô materia in lupo. Cum ergò, si in eadem materia informaretur duabus formis, quantumvis una esset materia, non esset una forma, nec unum foret animal. Et certè in nostro casu, erit negatio huius formæ lupi in composito, quod est agnus, quæ negatio huius formæ lupi, cum sit malignantis naturæ, importabit etiam negationem huius animalis, idque ideo, quia hoc animal desumitur ex hoc composito & utraque illius parte, sed hoc com-

positum, non est hoc compositum, ergo nec erit idem animal desumibile ab eodem composito.

Punctum Difficultatis 3.

An eadem Forma divinitus plures Materias informare possit?

PRÆMITTO PRIMO. *Aliud est querere, an plures partes materiae divinitus informare possit eadem forma, & aliud est, an plures materias.* Prius enim illud non est dubium, quod naturaliter etiam faciat; non enim materia, quam informat, indivisibilis est, sed de posteriori controvertitur.

PRÆMITTO SECUNDO. *Nomine plurimum materialium venire, vel materias inadæquatas, sed discontinuas, vel materias adæquatas, priorum exemplum est caput S. Dionysii & thorax illius, posteriorum exemplum est, si una forma corpus, & hic & Romæ positum informaret.*

PRÆMITTO TERTIO. *Divisos esse in hac materia auctores, nam posse materias disunitas inadæquatas tamen, informari divinitus ab eadem forma, censet Mästius, non tamen adæquatas. Posse etiam adæquatas materias informari ab eadem forma divinitus, docuit Ruvius, Amic., Pontius.*

DICENDUM EST. *Posse divinitus duas materias, etiam adæquatas & totales, informari ab eadem forma.* Ita prædicti auctores & alii.

PROBATUR PRIMO. Quia id non implicat contradictionem.

PROB. SECUNDO à Pontio. Duo corpora, possunt esse in pluribus locis simul, una forma accidentalis in pluribus subjectis, una materia sub pluribus formis. Ergo & una forma in pluribus materiis, etiam adæquatis.

RESPONDEBIS. Corpus se habere merè passivè in pluribus locis, nullumque habere exercitium virtutis in eorum acquisitione, sed forma informando exercet virtutem informativam.

CONTRA. Tum quia etiam corpus exercet virtutem repletivam spatii. Tum quia etiam forma in exercitio informativo, præcisè non plus facit, quam quia unita est, hoc autem non ostendit debere augeri vires illius ullas. Tum quia obedientialiter non repugnat, vires etiam augeri.

PROBATUR TERTIO. Possunt duæ materiae disunitæ & discontinuæ informari ab eadem anima: ergo & plures materiae adæquatae. Deinde, vel potest Deus replicare formam Petri, ponereque eam in pluribus materiis adæquatis, vel non potest: si non

potest, cur non? & certè si potest replicare animam Christi, ponereque eam cum sacramento corpore sub tot speciebus, etiam tam multum materiae habentibus, quantum requireretur ad adæquatam materiam corpori, cur non etiam ponere illam posset sine corpore vel in alio corpore; Si potest, ergo & unire illam, adeoque facere, ut informet plures illas adæquatas materias.

OBJICITUR PRIMO. Si plures materias adæquatas etiā divinitus posset informare eadem forma, & essent illæ materiae adæquatae, & non essent: essent, ut supponitur; non essent adæquatae, quia præter hanc adæquatam, quam informaret, posset etiam informare aliam.

RESPOND. hæc materia, quæ est adæquata cæteroqui formæ non replicata, est inadæquata formæ replicatae, adeoque illam materiam replicata forma informare poterit. Cæterum impossibile est, aliquam materiam adæquatam esse, possibilibus etiam replicationibus formæ, & tamen extra hanc materiam posse adhuc informare. Quomodo enim jam esset adæquata?

OBJICITUR SECUNDO. Si posset plures materias totales informare una forma, posset & infinitas; non enim major esset ratio pro una materia, quam pro reliquis: quod si posset infinitas, si darentur, informare materias, ergo habet virtutem infinitam forma informandi, adeoque perfectionem infinitam.

RESPOND. retorquendo in primis argumentum, quomodo non sequatur infinitas, quia corpus potest poni etiam in infinitis locis, item quia potentia possunt sibi proportionata objecta, etiam infinita, attingere. Deinde cum hæc virtus informativa, sit ipsa entitas formæ, sicut ipsa entitas formæ non est infinita, ita nec vis informativa.

OBJICITUR TERTIO. Quod formæ non possunt facere naturaliter, non possunt facere supernaturaliter: sed non possunt naturaliter formæ informare plures materias: ergo nec supernaturaliter.

RESPOND. quod non possunt facere formæ naturaliter, dicendo in ipsa sua entitate inclusam in capacitatem repugnantiamque ad aliquid, id non possunt facere supernaturaliter: sed quod formæ non possunt facere naturaliter ob defectum concursus, cæteroqui sibi indebiti, si ponatur ille concursus, possunt facere supernaturaliter: quod autem una forma non possit plures materias adæquatas informare, est ideo, quia non exhibetur illi concursus replicativus, quo posito, poterit supernaturaliter plures materias informare.

Quæ-

DISPUTATIO IV.

151

QVÆSTIO IV.

De opposita forma privatione.

ASSERO PRIMO. *Privationem definitivè esse carentiam formæ in subiecto apto ly carentia, est per modum generis, estque ratio conveniendi etiam cum negationibus. Ly autem in subiecto apto est per modum differentiarum, per subiectum autem aptum intelligenda communiter loquendo, aptitudo naturalis, eaque non remota, sed proxima.*

ASSERO SECUNDO. *Privationem posse sumi, vel secundum quod subest nostris conceptibus, & sic per modum alicujus quasi formæ negativæ concipitur. Vel sumi potest secundum quod est in re, & sic dicit ipsum subiectum, & non esse formæ, cujus subiectum est capax: sic accepta privatio secundum id, quod dicit subiectum, est quid positivum, & hoc puto sensu Aristot. 1. Physic. tex. 66. & 70. Ubi dicit illam esse unum numero cum materia; quando verò ipsa privatio dicitur visu percipi, non percipitur per se, sed ratione alius, quia scilicet forma hæc videtur, non videntur alia. Unde si nunquam vidissemus lucem, non possemus concipere quid sint tenebræ; adeum modum, quò quia nunquam aliquos flores vidimus, aut de illis audivimus, non concipimus in particulari esse illis hortum privatum; quando item tenebræ invitantur ad laudandum Deum, laus illa non est propria, sed tropica aut occasionalis, quia scilicet præbent occasionem laudandi Deum, cum in absentia v. g. lucis, cognoscitur bonitas lucis à Deo productæ; quamvis autem definitur privatio, non sequitur illam esse quid reale positivum, cum etiam entia rationis & negationes definiantur; in hoc tamen sensu potest dici privatio aliquid reale positivum, quia scilicet non est quid merè fictum, sed non hoc sensu, quasi habeat jus existendi in rerum natura, idque existentia Physicâ.*

ASSERO TERTIO. *Distinctionem privationum specificam sumi ex distinctis specie formis, & sic alia est specie privatio coloris viridis, alia coloris rubri. Licet autem privatio etiam subiectum importet, per subiectum tamen non distinguitur, nam etiam formæ dicunt ordinem ad subiectum, & tamè per subiectum non specificantur, aliàs calor in ligno & igne existens, differret specie. Cæterum hæc ipsa distinctio specificatioque privationum non potest dici rigorosa, cum rigorosè entia dici non possint, sed est tantum specificatio lato modo sumpta, qualis scilicet debetur illis, quæ non sunt quid merè per intellectum fictum.*

Multiplicitas autem numerica privationum, sumenda est ex multiplicitate tam subiectorum quam formarum, nec inde sequetur, dari actu infinitum privationum, quia prius est

actu, postea infinitum actu: cum ergò non sint actu, ut suppono, physicè & realiter privationes, nec sunt infinitæ actu. Sed dicendæ sunt infinitè Syncategorematicæ, de quo dici potest. Aliud est esse actu infinitum Syncategorematicè, & hæc propositio supponit entitatem actualem, cui hæc infinitas competat, sicut qui componunt quantitatem ex partibus proportionalibus, dicunt actu esse entitatem partium infinitarum Syncategorematicè, & in hoc sensu non sunt privationes actu infinitæ Syncategorematicæ, non enim competit illis actu esse; Aliud autem est dicere; est aliquid infinitum Syncategorematicè, & in hoc sensu privationes dici possunt infinitæ Syncategorematicæ: quæ nvis autem v. g. aer illuminatus dicat privationem aliorum luminum infinitorum, non censendus est dicere tenebras, quia non dicit privationem omnis lucis, quod tamen important tenebræ. Sed de rigoroso conceptu formando tenebrarum. Videantur dicta de Pœnitentia.

ADDI etiam de privatione & illud posset, quòd privatio non opponatur immediatè formæ, si sumatur prout abstrahit à subiecto, nam immediatè opponi est ita opponi, ut inter illa non detur medium, certè autem inter cœcitatē & visum datur medium, nempe abnegatio utriusque extremi, vel negatio visus, & ita Angelus neque est cœcus neque videns: sed si sumatur per ordinem ad subiectum capax, immediatè opponuntur, & ita aer necessariò est aut lucidus aut tenebrosus. Per hoc tamen non nego, quòd privationes suo modo suscipiant magis & minus, si formæ illarum suscipiant magis & minus.

QVÆSTIO V.

De Causa Formali.

QUÆRES PRIMO. *Quid sit causa formalis?*

RESPOND. Aristot. 2. Physic. tex. 28. Est ratio ipsius, quod quid erat esse. Clariùs idem efferes. Quòd sit causa intrinsecè actus esse rei, per ly rei, non intellige solum compositum substantiale, quia aliàs accidentia non essent formæ, sed intellige quodcunque compositum.

QUÆRES SECUNDO. *Quid causæ causæ formalis?*

ASSERO PRIMO. *Quòd formæ non causat materiam, quoad ipsum esse materiæ.*

RATIO. Tum quia potius materia causat formas materiales, ergò primò ab illis non accipit esse; & cum materia informata dispositionibus, debeat deponere creationem animæ, nec sit illius miraculosa productio.

† u 4

Ergò

Ergo etiam præsupponitur materia ante animam rationalem, ergo ab illâ non causatur. Tum quia, si forma causaret materiam, hâc ipsâ non crearetur, cum tamen subiectum primum, non nisi creari possit. Tum quia quamvis materia dependeat à forma, hæc dependentia est à posteriori.

ASSERO SECUNDO. *Quod forma det esse actui physice materie.*

RATIO. Quia acquirit ab illa esse actuale, quod de se, materia non habet.

ASSERO TERTIO. *Quod forma causet compositum.* Videantur de hoc puncto dicta supra de Materia.

QUÆRES TERTIO. *Quæ sit causalitas formæ in compositum?*

ASSERO, esse dationem sui in partem. Defendi id debet ex supra dictis.

QUÆRES QUARTO. *Quid sit effectus formalis primarius formæ?*

ASSERO. Nomine huius effectus venire ipsam formam, subiectum aptum & unionem horum.

RATIO. Inductio in omni effectui formali primario.

QUÆRES QUINTO. *Quid sit sententia de effectui secundario formæ, qui est expulsio formæ præcedentis?*

ASSERO PRIMO. *Quod expulsionis terminus, non sit non esse formæ absolute, sed non esse formæ in subiecto, quod sit destructio unionis.*

RATIO. Nam succedente formâ cadaverâ, vel quâcunque aliâ, non sequitur non esse animæ rationalis, etiam si sequatur expulsio; ergo de ratione expulsionis non est, ut sequatur non esse formæ, & certe si miraculose servaretur forma educta extra subiectum, verè esset expulsio, & tamen non esset deficientia expulsæ formæ, quamcunque enim derideris legitimam definitionem expulsionis, ea tunc salvabitur, sine non esse formæ. Hinc quod deficient formæ eductæ, non referendum in naturam expulsionis, sed in conditionem formarum eductarum, quæ non habent jus existendi in rerum natura, sine unionem ad subiectum.

ASSERO SECUNDO. *Terminus hunc expulsionis, qui est non esse formæ præcedentis, esse simul cum introductione formæ sequentis.*

RATIO. Quia si non esset simul, tunc vel antecederet vel sequeretur: Si antecederet; Ergo daretur tempus, quod materia esset sine ulla forma, hoc scilicet tempus, quod ipsum non esse formæ esset; Vel certè non esse formæ præcedentis, sequeretur positionem sequentis, ergo daretur tempus, quod duæ formæ essent in eadem materia, siquidem positionem formæ novæ, tum primum sequeretur, non esse formæ præcedentis.

ASSERO TERTIO. *Quod non esse formæ, non sit prius naturâ, introductione aliæ formæ.*

RATIO. Quia prioritas naturæ, est prioritas causalitatis; sed expulsio formæ præcedentis, non exerceret rationem causalitatis, in esse subsequentis formæ, non enim idè, tantum propter causam, introducit nova forma, quia expellitur vetus. Nec certè videtur interesse quidquam ipsi non esse formæ, ut sequaturalia, vel non; sed interest positioni huius, ut non sit præcedens. Rursus expulsio gratiæ, non est prior introductione peccati, aliâ prius defereret Deus hominem suâ gratiâ, quam deferatur à peccatore, peccando, ergo & de aliis expulsionibus formæ, idem dicendum.

COLLIGES hinc. Quod non esse formæ præcedentis, sit solum prærequisitum, non antecedens, sed concomitans introductionem formæ, sitque quodammodo quasi dispositio negativa, ita ut in eodem instanti, quod forma est, sit non esse formæ antecedentis, quamvis prius ratione antecederet positio formæ, & posteriùs ratione, expulsio. Dispositiones autem aliæ debent antecedere inductionem formæ, quamvis non antecederet expulsio, quia expulsio non determinat inductionem formæ, sed è converso: Dispositiones autem determinant inductionem talis in specie formæ.

DICES PRIMO. Illo instanti, quo fit expulsio formæ, vel est forma vel non: si non est, quid ergo expellitur? si est, ergo in illo instanti sunt duæ formæ. Rursus si dum est expulsio, est forma, nunquam aberit, cur enim potius, si nunc non esse illius non sequitur, sequi debebit postea; si autem expulsio dum est, non est forma, illa expulsio, esset ens otiosum.

RESPOND. expulsionem illam non fieri per aliquid positivum, sed sit non nisi per subtractionem concursus, quam teneretur Deus, tanquâ Auctor naturæ, subtrahere illi unioni, vel etiâ ipsi formæ antecedenti, quæ subtractio concursus, quia est quid negativum, non debet circa aliquid positivum versari, sed circa ipsum non esse; nec est quid otiosum, quia ipsum illud non esse, illi subtractioni concursus debetur: & quia objectio imaginabatur, quasi expulsio, sit actio aliqua positiva, idè positivum aliquid, circa quod expulsio versatur, deposcebat. Ad eum modum, v.g. quando Petrus expellit Paulum domo, producit aliquid positivum, hoc est impulsus, idè requirit esse Pauli, sic etiam hîc objectio volebat expulsionem causari.

Ex qua doctrina ulterius colliges, quod mediata causa expulsionis sit tum agens naturale, introducens formam novâ, quod exigit à DEO subtractionem concursus antecedenti unioni, quam etiam ipsa forma introducta idem exigens; immediata autem expulsio,

expulsio, fit ab ipsa subtractione concursus. Et certe causalitas ipsius expulsionis formæ, non est ipsa præsentia formæ; nam positâ causalitate, impossibile est etiam divinitus non sequi effectum, positâ autem præsentia unius formæ, possibile est non pelli aliam, erit ergo causalitas illius expulsionis, subtractio concursus. Et certe expelli illius, est non esse illius, quod non debet esse quid positivum.

DICES SECUNDO. Pro illo priori, quod concipitur poni formæ, vel concipitur poni antiqua formæ, vel non concipitur: si concipitur, ergo pro illo priori concipiuntur duæ formæ; si non concipitur, ergo pro illo priori, antequam expellatur formæ, jam non est formæ, quod est absurdum.

RESPOND. Nihil refert, quod concipiantur duæ formæ simul esse, sufficit, quod pro sta-

tu Physico, fit non esse formæ antiquæ, esse novæ.

DICES TERTIO. Corruptis dispositionibus antecedentis formæ, jam non est forma antecedens; & tamen potest non introduci nova: ergo apparet antecedere non esse formæ prioris, introductionem sequentis.

RESPOND. quoniam causalitas expulsionis est subtractio concursus conservativi, quem Deus potest præbere quando voluerit, fieri hinc potest, ut antecedit expulsio formæ, & non ad exigentiam sequentis, nec ad ejus præsentiam. Unde consequens est verum, in casibus miraculosis, non autem ordinariis cursu: hoc autem non officit, quominus prioritas naturæ attribuat formæ novæ, respectu expulsionis veteris, quia assertum procedit de cursu naturali, in quo expulsionem veteris formæ, exigit productio novæ. Addo

DE PRINCIPIIS EXTRINSECIS.

Nomine principii extrinseci venit efficiens. Finis item, quia etiam finis non componit id, cuius est finis.

DISPUTATIO V.

De principio extrinseco, quod est Causa Efficiens,

Primùm tractabimus de efficienti causa in communi, quanquam etiam miscebuntur multa de efficienti creato; postea de causa efficienti creata in particulari; denique tractabimus de efficientia causa increata.

QVÆSTIO I.

De Efficienti in Communi.

Efficientem causam definit Aristot. 2. Physic. Tex. 29. & 1. Metaphys. Sum. 2. C. 1. & 5. Metaphys. textu 2. *Est id, unde principium mutationis primum aut quietis.* Ly *Id.* est locò generis, & supponit pro causa, ratione cuius generis, dirimitur à privatione & reliquis, quæ non sunt causa, Ly *unde vel à quo* notat specialem habitudinem ac propriam phrasim efficienti: nam sicut vulgariter materiæ attribuitur ly *ex*

quo, dum solitariè sumitur, nam ly *ex* quo competit etiam formæ, dum non solitariè, sed unâ cum Materia sumitur, per ordinem ad componendum compositum, Fini aptatur ly propter quam, formæ ly per quod aut quò; ita ly *à quo* est attributum efficienti: per ly *principium primum* intelligitur, quod efficiens pro termino habeat id, quod est in omni mutatione primum in executione, adeoque primum sine addito, hoc est esse, quâ esse, & hoc esse, præsupponitur omnibus aliis, quæ sunt, esse cum addito, utpotè, esse sine addito. per ly *mutatio*, non intelligitur aliquid, quod fiat in præexistente subjecto, aliâs creationi non competere, sed pro quacunque acquisitione esse, sicut etiam per ly *quietis*, intelligenda est non privatio motus, sed possessio formæ.

Clarioribus terminis sic posset definiri causa Efficiens. *Efficiens, est causa determinans ad existentiam, secundum esse, quâ esse, seu secundum existentiam quâ talem.* Quamvis autem tota hæc defini-